
0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

TRACTATUS (4)
DE
Tribus Principiis
METALLORUM,

Videlicet

Sulphure, Mercurio

&

Sale Philosophorum,

Quemadmodum illa in

MEDICINA,
ALCHYMIA

Aliisque Artibus associatis utiliter adhiberi valeant,

In lucem emissus

A

JOH. RUDOLPHO GLAUBERO.



AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM JANSSONIUM à WAESBERGE
& viduam ELIZÆI WEYERSTRAET, 1667.

DE
SULPHURE.

QUod SULPHUR sit una Columnarum Cardinalium Medicinæ atque Alchymiæ, nec non Pars Prima ex Tribus Principiis Metallorum, satis superque constat: quod etiam in illo sit multum Boni reconditũ, attestantur tot Libri ab antiquis recentioribusque Autoribus nobis affatim relicti. Illos autem ferè universos esse obscurè conscriptos, & optimum quodque iis opertum, est itidem apertum. Hinc usitatum duntaxat fuit, ut ex eo præpararentur vulgaria quædam Medicamenta, qualia sunt *flores flavi*, *Magisterium album*, *Balsamus ruber* atque *Oleum acidum* per *Campanam*, &c. Cæterum inter cunctos se Paracelsus scribendo præstitit omnium apertissimum, veruntamen adeò cautum, ut perpauci paria facere potuerint, etiamsi permulti inquisiverint. Quum igitur hujus illuminatissimi Viri Scripta huic meo Opusculo probum Veritatis testimonium perhibere possint, æquum consultumque duxi, Optimum quodque ex ipsius Scriptis excerptum huic meo Tractatulo inserere, unde elucebit, quemadmodum in annos singulos nostra Ars sit provecta & aucta. Verba autem Paracelsi sunt hæc ferè subsequenti i.

DE SULPHURE.

Deus Bitumen creavit præditum multis raris virtutibus admirandis, facientibus non tantum ad neceſſarium uſum Medici opitulaturi ægrotis, ſed etiam ad ingentem Alchymiæ phantaſiam atque operationem: quin etiam ei inſunt complures virtutes aliæ, quæ ſe mirè per Sulphur produnt, quippe quod eſt verum Bitumen. Quapropter officii duxerim, ut non modò de Medicinalibus Sulphuris virtutibus perſcribam, verum etiam de Chymicis aliiſque compluribus aſſociatis virtutibus in quavis profeſſione ac negocio. Fatendum quidem eſt; Multa de Sulphure eſſe ſcripta, ſed fundamentum verum verarum virtutum ejus nondum eſſe unquam ſat exactè tactum neq; propoſitum. Sedenim in cauſa ac culpa ſunt illi Scriptores, qui omnia deſcribere voluerunt, de quibus nihil omninò intellexerunt, dum quicquam quidem compoſuerunt ac perſcripſerunt, ſed nihil de fundamento, ſeu ex genuina indole ac proprietate, prout in ſcribendo ac deſcribendo requiritur. Enimverò non ipſi quidem intellexerunt, præ ambitioſo tamen ſupercilio compoſuerunt ſine anima ac Spiritu libros ex ſolis literis conflatos. Ego verò inſtar experti vobis de *Sulphure* proponam Experientiam meam in omnibus, quid nempe *Sulphur* ſit ratione Medicinæ pariter atque Alchymiæ artificiorumque aſſociatorum.

torum. Scitote igitur, (Dei solius est impedire) quod in Sulphure insunt res mirificæ eæque tam eximiæ, ut Lumen hominis naturale inde sat admirationis hauriat: aut (ni Deus prohibuerit) erratum est penes Artistas, illud tractantes, id quod fieri potest. Etenim quũ jam quilibet Spermologus sibi videatur esse Medicus, & omnis philocompus velit haberi Chymicus, consequitur, Artes non posse rite in lucem prodire. Utcunque autem sit, in eo situm est fundamentum, quod Sulphuri in utraque Facultatum tanta Arcana atque vires insint, ut fere nemo eas funditus exhaurire valeat, nec non tantæ virtutes, quantæ neminem non traducunt in admirationem. Nam reverà secundum omnium Experientiam in utraque Facultatum sunt tot annotanda, quod in 🜍 est talis efficacia, ut nusquam dentur multò plura paria, neu ut habeat in Chymia atque Medicina secundum. Enimverò illud infamat Aristotelem ajentem; *Non dari specierum transmutationem.* Sulphur autem patitur transmutationem. Quod si fatuus ille *Aristoteles* etiamnum in vivis esset, dupliciter stultus argui posset, usque adeò uti nunquam ab ulla muliere taliter victus dici posset. Nullus verò Medicus aut Chymicus ita 🜍 in suos convertere usus debet, prout illud in seipso deprehenditur, sed separatum in suum Arcanum, ab omnibus sordibus purè elotum ac secretum, donec meliorem in modum lavetur, ipsiusque virtus vel nivis candorem excedat. Huc autem

confert *Hyßopus*, hoc eſt, *Ars ſeparandi*, quæ jam inde ab omni ævo antiquo nuncupatur *Hyßopaica* in Alchymia ac omni ſequeſtratione. Plebi autem illa eſt uſui eximio ad vulgare ſuum negocium ſeu artificium. Jam verò ut vobis 🜍 benè explanem atque vos de eo certiores faciam, illud primitus diſtinctè proponam in ſua natura. Illud quippe non ex matre una, ſed ex compluribus progignitur. Quare etiam diverſas ſortitur operationes, hoc eſt, varias in ſe habet affectiones, non uniuſmodi indolem, ſed ſingulas ſingulatim. Ut autem Medicus nihil erret, ego illius naturam ipſi proponam, quæ ei conducet in Medicina; nec non Chymico exhibebo ejus indolem, quatenus ipſi erit uſui in Alchymia; ac tandem indicabo, quatenus conducet ad commune cujuſvis exercitium. Subminiſtrata itaque prius Inſtructione, mox ſuppeditabitur ejus uſus tam in Medicina quàm in Alchymia reliquiſque vulgaribus vacationibus uſque adeò ut in ſua quiſque operatione ſciat ſe ritè moderari atque in illo absque ullo errore converſari. De *Sulphure* igitur *Embryonato Metallorum* ſic habetote, quod in eo viſibiliter exhibeatur, quemadmodum illud 🜍 in morbis Membrum ſuum tam egregiè conſervet ac reſtauret, & qualiter Membra ſolo Minerali indigeant Medicamento & nullo prorſus alio. Hinc ex ☉ illud 🜍 conducit cordi, ex ☽ cerebro, ex ♀ renibus, ex ♄ ſpleni, ex ♂ felli, ex ♃ jecori, ex ☿ pulmoni.

Quin-

Quinetiam habetur genus 🜍 Embryonati, quod ligno inest, & verò 🜍 illud est solus △, quem nemo in sua vita essentiaque conservare aliter valet, nisi ut unà cum ligno abeat & obeat. Illud itaque est tale 🜍 rerum omnium, quæ Lignum sunt, vel quicquid fuerit, quod ignis planè in cinerem redigat. Atque hoc 🜍 est vegetabile, non autem fixum, neque ad quicquam aliud conducibile, nisi ad illas res solas, quæ ab igne apparandæ sunt. Jam verò innotescat vobis omnibus, quod 🜍 illud indicet virtutes aliorum 🜍 hac ratione: Ut illud est ignis edax omnium rerum: Ita etiam quodlibet 🜍 est ignis invisibilis, qui item morbos absumit invisibiliter ut Ignis lignum consumit visibiliter. Quocirca Elementum Ignis in morbis omnibus est ingens Arcanum, qui caret Elemento ignis in sua arcanitate, ille nullatenus sibi nomen Medici adscribat, neque se pro Medicinæ experto gerat, sed saltem satagat haberi cæspitans operator crumenarumque expilator. Insuper quoque dicendum est, quod 🜍 est Elementum ignis, & si quis velit, ut illud præstet vires medicamenti, ei in id incumbendum est, ut illi concilietur talis volatilitas, qualis amittatur similiter flammæ, hoc est, ut efficiatur subtile atque à suo corpore abeat, ipsiusque Corpus se ab eodem secernat, quod non sit Elementum Ignis. Quod si jam Sulphure subtilitas volatilitasque parta est, tunc ipsum est tale, ut illud consumat, est quod esse non debet, hoc est, quod non est fixum naturâ, id

est, morbi non sunt fixi, Corpus autem est fixum adversus Elementum: atque Elementum ignis solum adversus id est, quod adversus ipsum non est fixum, hoc est, adversus morbos. Sanè si Pseudomedici eò cogitationes suas contulissent, ut hæc Philosophia nobilitatem præcipuam obtinuisset in Academia Medicorum, non item autem battologia futiliaque nugamenta Humoristarum, qui in Medicinæ palæstra oberrant atque palpant instar tenebrionis ad numellam publicam exoculati, qui viam postmodum nescit quà eundum sit: taliter quippe variorum homicidiorum insontes essent, quorum jam reos se fateri necesse habent. Sed tales valeant & maneant, quales esse amant, Pseudomedici, quippe qui dictamini conscientiæ redarguentis auscultare nolunt, sed se instar porcorum in assuetas rerum suarum siliquas ingurgitare malunt. Si quis autem vult evadere Archiater, perquirat Elementorum vim in rebus naturalibus, ubi inveniet veritatem morborumque illorum utilitatem. Ita nobis cognitum compertumque est duplex genus 🜍s Embryonati, quorum unum est fixum & nihilominus redditur volatile, alterum verò merus Ignis, id est, unum eorum est Ignis vivus, alterum autem Ignis insensibilis, sed verò utrumque tam sensibile quà insensibile ignis genus consistunt in pari consummatione, nempe unum in lignis, alterum in morbis. Nisi id adversaretur regimini divino, (ita sentio, quod non quilibet debeat esse opulentus,

Deus

Deus quippe novit probe, cur caprarũ vulgo non elargitus sit caudas justo longiores) nonneminis emergere affectantis saluti paucis verbis hîc consuli posset. Quod quũ Opulentia non semel paupertatis colonum seducat, humilitatis modestiæq; habitum ei exuat, ipsum in animal superbiens insolensque transformet atque novaculæ conformet, satius est Harpocratem agere atque in sua quemque egestate relinquere. Ita jam scitote de Sulphure ejusque speciebus, quænam sit ipsius natura, proprietas atque essentia. Quicunque verò omnino (prout par est, licet illicitum sit) Sulphur ad demensum ac lancem esset descripturus, ei chartæ copia opus foret. Cæterum ad 🜍 tractandum desideratur probus operarius Chymicus, expeditus Artista idemque benè expertus solideque fundatus, non ventosus, neque locutulejus, cujus Ars non ex solo se prodat ore, sed deprehendatur ex labore; hic namque plura admiranda ex eo eliciet, quàm quisquam scribet. Qui autem de 🜍 nihil novit, is omninò nihil scit, neque ei convenit, ut quicquam dicat vel in Medicina vel in Philosophia, vel de ullis Secretis Naturæ.

De Usu Elementi Ignis, quod tanto Paracelsus opere, quanto maximo potuit, Medicis commendavit.

PRimò in morbis singulis ad confortandum cor, cerebrum omniaque membra Corporis

interna adhiberi hæc Tinctura 🜍is poteſt, quippe quæ eſt inſigniter ſubtilis, ſapida ac ſuavis & cumprimis Medicina præſtabiliſſima in affectibus pulmonum. Item eſt ſalutiferorum Balſamorum penetrantiſſimus ad curandum omne corpus Internè læſum & ad vitiata quævis in ſanitatem priſtinam reſtituenda, uſque adeò ut hoc reſpectu vix ex remediis aliis ullum ei reperias viribus ſecundum: ac propterea vicem Auri potabilis facilè ſupplere poterit; ſed in morbis igneis illud eſt cautè adminiſtrandum. Quinetiam corroborat hæc Eſſentia 🜍is debilitatos ſtomachos algidos & parit digeſtionem bonam. Summatim, in cunctis ægritudinibus, præterquam febribus ardentibus illa tutò adhiberi poteſt. NB. Si quis Tincturam rubram ex fixo 🜍e rubefacto extraxerit, gaudebit præſentiſſima Medicina non tantum ad homines, ſed etiam ad nonnulla Metalla nominatimque ad ☽ & ☿, tingendo iſthæc in ☉, id quod Paracelſus cunctis Artis rivalibus ſeu filiis maximoperè commendavit, ſic ut æquum eſſe duxerim, ipſius à me verba hic ſubjungi, prout ſonant: *Mortificatio Sulphuris* eſt, ſi quando ſuus ipſi humor combuſtibilis fœtidusque adimitur illudque in ſubſtantiam fixam redigitur, quod ita peragitur.

℞. Vulgare Sulphur flavum, quod in purum immutabis pulverem & ab illo abſtrahes acerrimam Aquam fortem uſque ad tertiam vicem, deinde ipſum 🜍 quod in fundo remanet coloremque atrum refert, edulcorabis mediante aqua dulci, atque

que toties inde destillabis, donec Aqua tota dulcis adscendens meabit atque non amplius Sulphuris odorem spirabit. Mox sumtum tibi illud Sulphur in clauso Reverberatorio reverberabis ad instar Antimonii. Tum illud se exhibebit primò album, secundò flavum, tertiò rubeum similiter cinnabari. Taliter jam acquisito, gaudebis, tanquam primitiis tuarum divitiarum. Hoc quippe Sulphur reverberatum tingendo redigit quodvis argentum in Aurum optimum & Corpus humanum in summam sanitatem excellentius quàm scribi potest. Tantæ virtutis est hoc Sulphur reverberatum atque fixum, &c. Alibi locorum scripsit Parecelsus de *Transmutatione Metallorum & Gemmarum* sic: Quemadmodum vos jam per viam brevitatis summariam percepistis de quibusdam Transmutationibus Metallorum; Ita nunc etiam ulterius cognoscetis de Transmutationibus Gemmarum, id est, lapillorum, quod talium quoque Transmutationum dentur variæ, quarum tamen aliæ aliis nullatenus adversari videntur. Enimverò videtis, quanta Transmutatio Gemmarum in Oleo 🜍is latitet. Quælibet enim Crystallus in illud tingi ac transmutari atque interjecto tempore coloribus distinctis per gradationem exaltari ita potest ut transmutetur æmula Hyacintho, granato vel Rubino, &c.

Paracelsus hic docet, 🜍 fixari, si ab eo pulverisato aliquoties abstrahatur acerrima 🜄. Atqui taliter nihil proficitur, quum 🜄 non sit capax alicujus

cujus in 🜍 ingressus, quippe qui ei antea per Salia est conciliandus, prout suprà condocefecimus; tunc enim conatus succedit, & 🜍 in abstractione 🜄 fixatur, atque etiam albescit, rubor autem ipsi deinceps dat flammam apertam, seu △ reverberatorium, & nunquam rubescit in vase clauso, etiamsi admodum diu staret in △, & quando jam rubrum evasit, ex ipso Tincturam Spiritus aliquis communis non extrahit, utpote cui negetur omnis in illud ingressus, sed fixum 🜍 rubrum antea mediante fixo Sale 🜿 liquefiat per △ validum, quâ viâ ipsi datur talis Ingressus, ut aliquis Spiritus vini ei Tincturam ipsius extrahere valeat. Aliter namque irrito fatigaberis conatu. Quippe Paracelsius hoc Experimentum sibi soli reservare maluit quàm illud ulli communi vulgi ingrati usui prodere. Quod autem me incesserit jam cupido elargiendi illud tam apertè, nemo demiretur, quum mihi peculiares constent hujus liberalitatis meæ evulgantis rationes, ad quas cuiquam reddendas non teneor; sufficiat cuique grati animi alumno, me Secretum illud publice detexisse.

Hæc fixa Tinctura 🜍is est in Medicina multò efficacior quàm Paracelsi Elementum Ignis, quippe quod non nisi ex 🜍 volatili extrahitur, hoc autem est fixum, atque etiam fixos hominum morbos pariter atque Metalla curare pollet. *Tinctura volatilis* sive *Elementum Ignis*, prout à Paracelso appellatur, alioquin etiam insigniter confert ad usus externos. Omnes siquidem affectus cutis, ut scabies

ſcabies conſimileſque ope ejus pelluntur. Item omni vino illa eſt medicamento præſentaneo. Si quis enim vel aliquantulum ejus in dolium vinarium infuderit, vinum ſaporem odoremque gratum nanciſcetur atque adeò confortabitur, ut non facilè muceſcat, quemadmodum aliàs viliori vino Rhenano contingere ſolet. Sanè ego periculi faciendi gratiâ non ſemel diverſa vina exploravi atque reapſe ita comperi. Quippe unam aut duas guttas noſtri Elementi Ignis in quædam aperta parva pocula vitrea vino repleta inſtillavi, quæ in dies inſpexi, quoadusque deprehendi, quod illud vini, cui nihil Elementi Ignis fuerat admixtum, intra biduum aut triduum ſuperne mucorem contraxerat, hoc verò, cui ſaltem aliquantillum Elementi Ignis immiſcueram, quaſi tribus hebdomadibus perſtiterat, priuſquam muceſceret. Quam rem vinariam ſi quis meditando ruminaverit, comperiet, ſe ſibi ſuiſque ſolo hujus unius Artis beneficio longè expeditius quàm alioquin per vias mercaturæ periculoſas alimenta opulenta eaque honeſta acquiſiturum fore. Quare cuicunque eſt animus fruiſcendi ex re vinaria fructuoſo emolumento, ille ſibi proſpiciat, ut continenter in promtu habeat probum Sal mirabile, ac Sulphur in Igneum Lapidem rubentem redigat; alioquin oleum operamque perdet; id quod candidæ admonitionis ergò ſilentio tramiſſum nolui. Eloquar itaque cum Paracelſo, non omnes illos eſſe optimæ notæ Medicos atque Chymicos, qui pollent

lent dono linguæ gloriosæ, sed hos duntaxat solos, qui ingenium Ignis usu longo condidicerunt atq; inter laborandum Subjectis tractandis & addere & subtrahere callent, prout cujusque operis ratio requirit.

Quum igitur hîc jam cognoverimus, quid Paracelsus docuerit de fixatione Sulphuris pariter atque fructuoso ipsius usu in Medicina ac Alchymia; Ita nullatenus absonum fore arbitror, si quæ de eodem Basilius conscribit, huc adscripsero, ut ex illius verbis quilibet eo melius cernat, quod mea Sulphuris fixatio, quam jam descripsi fieri per Sal nitri, non discrepet à scriptis aliorum Philosophorum ad Sal nitri remittentium. Basilius ille memoratus, qui in multis Scriptorum suorum locis fixationem Sulphuris ope Salis nitri sic satis obscurè notificavit, inter cætera scribit ita:

[*Hîc introducitur Halinitrum seu Sal petræ de se sibi soli loquens.*]

,, Sulphur quidem est aliàs mihi inimicus infe-
,, stissimus, alias tamen vicissim amicus optimus.
,, Quippe quando nos ambo connubio sociamur,
,, & concubitus noster in Inferno ita celebratur,
,, ut utrique nostrûm sit unà satis sudandum, tunc
,, nos nostras sordes omnes à nobis adeò excerni-
,, mus, ut in corporibus nostris mortuis *Thesaurus*
,, *Maximus* reperiatur, atque ex nobis *filii opulen-*
,, *tiæ* progignantur, &c. Quibus Basilius innuere voluit, quod Sal nitri à Sulphure attingente inflammetur & velut hostis comburatur totus at-

que

que redigatur in nihilum, & proinde ab ipſo habeatur Inimicus maximus: Sin in formam Aquæ fortis Sal nitri aſſocietur Sulphuri, illudque reddat fixum atque in Igne conſtans, quod tunc iſtiusmodi pacto illud ipſius Amicus evadat maximus, & ex utroque filii opulentiæ procreentur. Quemcunque igitur tenet amor conſequendi tales filios, ille cogitationes ſuas omnes in rem ipſam conferat & aſſiduè perquirat; quia inveniet; ſi modò Deus indulſerit atque permiſerit.

Quodcunque igitur Paracelſus hic jam de Sulphure perſcripſit, procul dubio ſat expertus ſcripſit, ita ut ipſius ſcriptis ſecurè fides haberi queat. Neque enim ab re eſt quod hic ait: *Non nemini paucis verbis ſuccurri poſſet, &c.* Certè ille, niſi Mundi impietatem reformidâſſet, multò evidentius exarare atque hac viâ multorum inopiam ſublevare potuiſſet, ſed abſterruit hominem ingratitudo Mundi notoria.

Exarat idem etiam perbenè de Elemento Ignis, quàm excellentem Medicinam illud præſtet, quemadmodum ego ipſemet expertus ſum, atque deinceps etiam de eo, annuente Deo, exaratum ibo. Conſimiliter idem etiam nemorat de prænobili illa Arte *Hyſſopaica*, cujus ope antiqui Philoſophi nigro Sulphuri alborem niveum manibus lotricibus conciliarunt, illud fixum reddiderunt, illiuſque beneficio Miracula magna in Medicina atque Alchymia ediderunt. Hæc Ars (eheu!) fuit incuriâ ac injuria temporum ſuperiorum ma-

gis magisque deperdita, quam tamen ceu jamdudum inter ima silentis oblivionis subsellia tenebrasque jacentem in gratiam egenorum hic meus Tractatulus denuò in lucem producturus est. Videtur item *David* Propheta nonnihil cogniti habuisse de isthac Arte Regia, quippe qui, posteaquam sua ipsi peccata coram Deo quasi carbonis nigrorem induxerant, ita divinam misericordiam implorat: *Adsperge me, Domine, Hyssopo, ut albescam, Te enim lavante benè me, nive candidior evasurus sum.* Ex quibus sat videre est, Davidem non notissimam illam herbam culinariam Hyssopum exquisivisse, ut illâ ablueretur, quippe quæ concessa ipsi potuisset nulli esse saluti, sed ipse Metaphoricè loquutus est atque expetiit, ut sua sibi delicta (quorum ergò animam suam credebat immani nigritie coram Deo infectam) condonarentur & ipse in divinam gratiam reciperetur, & neutiquam protelaretur à Dei facie in æternum. Itidem ut nigro, crasso combustibilique Sulphuri terræ lignive intercedit nulla prorsus communitas cum purissimo, fixatissimo incombustibilique Sulphure Auri; quippe quamdiu nigrum Sulphur combustibile suam indolem conservat, exturbatur ab altero, ceu abhorrente à familiari talis graveolentis sordentisque hospitis commercio. Quamprimum verò alter ille Æthiops ancillante nobilissima illa arte Hyssopaica ad candorem nivis usque elotus atque in igne constans redditus fuerit, tunc ab ☉ libenter in communionem recipitur,

& ex

& ex utroque fit una Tinctura, cujus adminiculo etiam Metalla alia ad perfectionem Auri rediguntur, prout paulò post edisseretur pluribus; antea tamen discrimen Sulphuris ego secundum Experientiam meam breviter notum faciam: quod quidem minimè necessarium esset, cum Paracelsus id satis expediverit; veruntamen ex abundanti placuit isthæc paucula subnectere.

Antiqui Philosophi, quotiescunque ipsi de origine ac primordio Metallorum in suis Scriptis egerunt, fundamentum assertionis suæ collocarunt in Demogorgone, quod nimirum ille sit omnium Metallorum Mineraliumque avus, qui in Centro terræ inhabitans, rubiginoso pallio virente amiciatur. Propriè autem Demogorgon ille est Centralis Ignis continenter ardens, Spiritumque Sulphuris subtilem per Terræ meatus de se destillans. Quod si hic igneus Spiritus sibi in suo adscensu commodam inveniat fibram locumve humidum, cui valeat immorari, mox ibidem coagulatur in aquam Mercurialem, atque centralis △ per continuam coctionem diuturnamque temporis moram in Mineralia ac Metalla maturatur. Ille autem Spiritus Sulphuris adscendens, qui nullam commorandi sedem inibi invenit, altius altiusque tantisper adscendit, dum ad superficiem terræ pertingat, in quam, dum eam pluviâ humectatam offendit, ipse se immittit & quasi in formam immanium dumorum arborumque ex humo sursum in aëra excrescit; in quibus herbis viri-

 dibus-

dibusque arboribus tale 🜍 item ut & in Mineralibus (quantumvis non hoc deprehendatur tam fixum quàm illud in Metallis) invenitur; utpote quæ omnia per Astrorum influxus in terræ visceribus gignuntur ibidemque pro natura loci in hæc vel illa Metalla coagulantur. Consulat, qui uberius de iis perdoceri amat, illos Philosophos, à quibus eadem ex professo sufficienter descripta sunt. Si quem trahit voluptas operandi, iste sibi hoc illudve Sulphur, quod ad Intentionem suam sibi visum fuerit maximè accommodum, eligere poterit.

Ecce tibi jam Methodum, quâ 🜍 nigrum beneficio antiquissimæ Artis Hyssopaicæ in album lotrice dextrâ vertitur, fixum atque in igne constans redditur, & per Reverberationem in rubedinem transmutatur, atque deinceps ad Medicinam humanorum Metallicorumque Corporum, meliorationem desiderantium, magno cum emolumento adhibetur.

Ellum igitur tibi primò Modum ita lavandi Sulphur nigrum, ut candorem trahat.

PAucis quidem Paracelsus supra laudatus describit Modum albificandi, ac rubefaciendi Sulphuris, sed, quod scitu erat utilissimum, recelavit, nempe *Modum præparandi* illud, utpote citra quam præparationem nulli 🜄 datur ingressus ad illud lavandum atque figendum. Mihi verò deli-

deliberatum eſt, hîc illud Secreti jam verbis perſpicuis in gratiam indagatorum Artis publicare. Idque fit modis ferè diverſis, prout liquet ex inſequentibus.

℞. part. 1. Sulphuris terreſtris carbonum foſſilium, aut vegetabilis carbonum è ligno, cui pulveriſato immiſce 2. vel etiam 3. partes noſtri Salis Mirabilis ex Oleo Vitrioli ac Sale communi præparati; quam Mixturam indas in crucibulum idque tectum immittas in furnum anemium ad fundendum, ubi Sal mirabile per ſuam acrimoniam 🜍 aggredietur ac ſolvet lapidemque rubrum inde proliciet, quem effuſum cum aqua ſolves, filtrabis denuòque in rubrum ſal ſeu lapidem coagulabis, atque ita jam 🜍 adminiculo Salis Mirabilis per unicam duntaxat acris Aquæ fortis abſtractionem factum erit tam habile, ut ipſi queat lotio alborem conciliare, ſimulque illud formare fixum ad vim ignis ſuſtinendum, juxta illum, qui ſubſequitur.

PROCESSUS.

℞. hujus rubri Salis Sulphurei ℔. 1. eique in forti cucurbita vitrea 3. ℔. acerrimæ 🜄 ſuperinfunde, non tamen ſemel, ſed ſenſim per vices, quippe quoniam apud Sulphur *Sal Mirabile* amiſit ſuum Acidum & evaſit alcaliſatum & proinde tam inimicum 🜄, ut eam impetuoſè oppugnet. Neſcienti igitur huic cautè operam dare, totum

contentum ex cucurbita dimanabit, aut vitrum præ æſtu ruptum diſſiliet. Quare feſtina lentè & ſecundum Leges Artis operare, ut tuus conatus evadat fortunatus; in via autem huic contraria nihil niſi damnum tædiumque invenies. Quotiescunque igitur aliquid 🜄 addes, confeſtim ſuperimponas alembicum, quia efflictim fumigat noxamque creat; ad quæ præcavenda, ego poſt factas aliquammultas jacturas, tandem aliquando adverſus iſtiuſmodi exhalationem inveni hoc remedium.

In ſupremo alembici foravi foramen exiguum, cui acuminatum Tritoriolum vitreum ſuperimpoſui lutatum. Simulatque jam præparatum 🜍 in cucurbita & adaptato Receptaculo rectè lutatũ fuerat, ego per tritoriolum illud una vice 2. aut 3. lotones 🜄 affudi, fiſtulamque chartulâ oppilavi, ubi poſt immanem concertationem, ſuâ ipſius virtute nulloque exterius interveniente igne altero ſubtilis Anima Sulphuris in forma rubicunda adſcendit. Mox denuò recens 🜄 affundatur & in ſua ipſius operatione relinquatur, tam diu & toties, dum 3. ℔. 🜄 ad 1. ℔. præparati Sulphuris affuſæ fuerint. Deinceps cucurbitam jam in arena impoſitam, per 🜂 externè calefacies, ita quippe 🜄 eò melius ſuâ virtute in 🜍 agit, & omnis 🜄 adſcendit rubore prædita: atqui Sulphur apud Sal mirabile remanet in cucurbita fixum, album, igniſque vim ita perferens, ut modò non eſſe incredibile videatur, quod talis ſubſtantia inflam-

matu

matu crematuque facilis intra horas tam paucas ad ſummam fixationem conſtantiamque exaltari poſſit. Peracta deſtillatione vitriſque refrigeratis, cucurbita inde expromitur, ſalque cum fixo 🜍 ex ea eximitur, atque ad ſolvendum Sal mirabile affunditur tantum 🜄 communis, quantum ſufficiat. Poſt extractionem Salis, benè edulcoratum Sulphur fixum albens exſiccetur, atque in crucibulo inter carbones lignorum ſat candefiat, quoadusque fixum 🜍 remaneat ex toto album ignisque examen perferat, & ad tales uſus reſervari queat, prout ex ſequentibus addiſcas. NB. Si Sal mirabile unà cum 🜄 fuerit purificatum, Sulphur fixum poſt edulcorationem erit nivei candoris; ſin è contrario 🜍 per Sal mirabile minus benè filtraveris, & 🜄 quoque non emundaveris, 🜍 nivei alboris nequaquam egredietur, prout facilè conjicias. Quare quicunque niveum 🜍 quærit, in omnibus cautè verſetur & purè operetur. In Medicina & Tranſmutatione Metallorum 🜍 albore deſtitutum noxam nullam facit; ſi verò ad tales uſus, qualium neceſſitas niveum efflagitat, illud adhibiturus eſſes, cauto opus erit, ut ritè ſecundum præſcripta Artis procedas. Neque enim parum refert in quovis opere ſcire, utrum colore candido, an verò cinereo 🜍 fixum ſit præditum, prout in ſubſequentibus largius tradetur.

Porrò adhuc ſcitu ſummè neceſſarium eſt, quod illa 🜄, quæ 🜍 præparato fuerit affuſa, atque ab eo per deſtillationem abſtracta, non amplius pro

communi ▽ ſit putanda. Licet enim ipſa adſcendat rubicunda, diſparebit tamen illa rubedo intra diem unum alterumve, viciſſimque illa ▽ ſe exhibet limpidam claramque, ita ut vix cuiquam ſit meditatum, eximii quippiam in memorata illa rubicunda atque in alborem remigrante ▽ delitеſcere. Quod ignorantiæ genus mihi inſigniter nocuit, dum mihi perſuaſi, iſtiuſmodi ▽ quæ adſcenderat, non poſſe præſtare uſum ampliorem quàm ſaltem adhiberi ad alia aut etiam ad hoc opus. Poſteaquam autem me aliquando inceſſerat Curioſitas indagandi, unde rubor ille proveniſſet atque cur idem ultrò diſparuiſſet, ego ℔. 1. talis ▽ in cucurbitula emundata rectificavi, ad cognoſcendum, num rubedo illa retrò eſſet manſura, & non niſi ſimplex ▽ adſcenſura, ſed inter examinandum comperi, quod nulla prorſus rubedo adſcenderat, ſed quod illa in rectificatione ſe rurſus ab ▽ ſecreverat & ad inſtar pulveris nive candidioris in fundo ſubſederat. Quo probandi genere peracto, periculum feci, an memoratus pulvis albus eſſet fixus, comperique, illum eſſe tam fixum quàm ☉ ipſum, nullo tamen pollere ingreſſu in Metalla, ſed permanſiſſe interim velut album terræ genus in igne conſtans. Hinc capiebar voluptate excogitandi, num quid eximii in hujuſmodi pulvere niveo lateret. Quapropter denuò aliquoties rationem probandi tactam iteravi, atque ita viciſſim idem reperi. unde Lumen magnũ mihi affulſit, quo perſpexi, quod in vehemen-

tiore

tiore actione Aquæ fortis cum solutione præparati ♃ adscenderit cum ▽ anima Sulphuris mundissima, in quantitate tamen perexiguâ; quandoquidem 1. ℔. talis ▽ vix 8. aut 10. grana Animæ Sulphuris in proba post se relinquit: id quod primitus mihi perparvam creavit voluptatem, illudque cumprimis ideò, quod pondus ejus mihi videbatur justo vilius. Factâ autem probâ exactiore deprehendi, istum pulverem niveum esse præsentissimum medicamentum in quibusvis sanabilibus hominum morbis & veram Tincturam ad correctionem Metallorum, ac proinde illum postea in majore precio habui, talemque nobilem, quæ adscenderat, candidam Tincturam Arte obstetricante cum ☉ univi; quod ipsum est factu facile, nominatim peritis. Atque ita comperi, quod laudata Tinctura, quantumvis etiamnum nivea, apud ☉ igne vili in rubedinem exaltari possit, & majoris precii sit quàm omne 🜍 residuum, etiamsi hoc sit centuplo ponderosius quàm illud quod adscendit. Utriusque autem fructum atque usum paulò post reddemus uberius. Sufficiant jam hæc in medium allata de ratione albificandi, fixandi atque ad ignis vim sustinendam exaltandi 🜍 vulgare, fœdum, atrum, fugax, cremabile. Priusquã autem ad describendum usum hujus Sulphuris albificati ac fixati procedamus, adhuc loci indicabimus quosdam Modos alios albificandi ac fixandi omne 🜍 combustibile.

Alius Modus figendi Sulphur.

℞. 1. 2. aut 3. ℔. communis flavi Sulphuris pulverisati, cui in olla vitreata affundas 4. 6. vel 9. ℔. fortissimi lixivii ex calce aut cinere lignorum parati, quo Sulphur, non sine agitatione continua, tantisper coquas, dum lixivium fecerit finem solvendi. Mox decanta, ac recens superfunde, ut hoc quoque solvat, quantum valeat, idque tantisper ac toties itera, dum omne 🜍 solutum fuerit. Quam Solutionem si filtraveris, atque in rubrum Sal seu Lapidem coagulaveris, 🜍 erit tam habile, ut ope 🜄 lavari atque fixari queat.

Adhuc alius à superioribus *Modus figendi Sulphur.*

Solve 🜍 in Lixivio, solutionemque istiusmodi immitte in cucurbitam, cui superimpositus sit Alembicus cum Tritoriolo applicatoque Receptaculo; per tritoriolum affunde sensim per vices tantisper Oleum Vitrioli, dum consequatur utriusque mortificatio atque cesset operatio ita ut non amplius in se invicem agant. Deinde da △ paulatim, & subtilis Spiritus Vitrioli adscendet, qui admiranda præstat in Medicina & Alchymia, quippe qui ☉ spirituale in se continet, & per Rectificationem valdè subtilisari potest. Sapore nihil ferè à Spiritu urinæ differt nisi quod sit palato gratior & ad omnem usum efficacior quàm Spiritus Salis Armoniaci vel Urinæ; Tinctura denique ex eo separatur, prout postea prosequemur.

Sal

Sal residuum ex cucurbita eximitur, & in crucibulo per fusionem convertitur in lapidem rubentem, qui se ita per se tempore brevi in aliquo crucibulo fixari patitur, cujus Sulphuris beneficio omnia Metalla particulariter fructuoso cum emolumento emendari possunt. Quod si quis Universaliter illud in usum suum convertere decreverit, ille pulverisct hoc fixatum 🜍 rubens, atque ex eo sanguinei coloris Tincturam extrahat cum Spiritu vini; quippè quæ Tinctura extractu perfacilis est, & à Paracelso *Elementum Ignis* appellatur & permagni penditur. Cur autem hic Philosophus eam nuncupârit *Elementum Ignis*, ejus procul dubio ratio potissima fuit, quod ipse animadvertit, sibi inter operandum in conspectum venisse 4. Elementa. Quippe Extractione (quæ intra 24. horas potest absolvi) absolutâ, supernè venusta Tinctura, Rubino rubore æmula, desidet, cui subest albus Liquor ac in fundo terra cinereo-nigra. Aquam cuticula albam secernens à Tinctura sumitur pro aëre. Hac igitur viâ subalternatim 4. Elementa in Vitro uno citra confusionem taliter in conspectum cadunt, ut licet illa per horam unam vel centies moveas, nunquam tamen permisceantur, sed post agitationes suam quodque repetat stationem pristinam. Cæterum de fructuoso usu hujus Elementi Ignis postea agetur. NB. Quemadmodum nos hîc jam docuimus Methodum lavandi fixandique vulgare flavum 🜍 pariter atq; atrum ex carbonibus petra-

rum lignorumque: Ita etiam Sulphur Antimonii, Vitrioli, Auripigmenti aliorumve Mineralium albificari fixarique poteſt.

Modus autem proliciendi 🜍 ex Metallis ac lapidibus, peculiari capite (Deo annuente) tradetur. Tradetur interim

Uſus Sulphuris noſtri fixati

&

Primò quidem in Medicina.

PRimò hoc per lotiones albificatum fixatumque 🜍 eſt Bezoarticum præſtantiſſimum, atque uſum multò tutiorem præbet quàm Orientale, quod majore quidem precio divenditur, nunquam tamen ullum viſibilem ſenſibilemque effectum præſtat. Contrà noſter Bezoar ei meritò palmam præripit, idque cumprimis in peſte, febribus aliiſque morbis omnibus, ubi ſudato opus eſt.

In omnibus quoque affectibus pulmoniacis plus ſolamnis ac levaminis confert quam cætera Medicamenta univerſa, quæ ex Sulphure nondum cocto, neu fixato, ſed crudo tantùm parantur. Deinde quibuſvis ætatis ingraveſcentis hominibus (quorum ſtomachus debilis profligatur aquoſorum viſcoſorumque humorum colluvie) eſt præſentaneo remedio, quippe quod ſua ſiccitate omnes pituitoſas humiditates ſuperfluas funditus abſor-

absorbet ventriculumque maximoperè restaurat. Quid? quod imbecillitati seniorum præcipuè commendari possit pro Cordiali atque Confortativo præcellentissimo. Extrinsecus denique potest fungi vice Cosmetici præstabilissimi, simulatque illud arte Spagyrica in Oleum dulce ita reductum fuerit, ut ejus ope flavens nigricansque pellis hominum & nominatim fœminei sexus tingatur niveo colore, non ad instar vulgaris cujusdam Cosmetici, quod cutem quidem candefacit, sed vicissim aquâ inde ablui potest, non ita, inquam, sed tali modo, quali inelegans cutis adeò tingitur, ut isthæc Tinctura inde nullo prorsus modo ablui valeat: Temporis tamen tractu tandem ille Tincturæ albor deteritur, cutique nativa sua nigricans flavedo restituitur; & proinde illa denuò toties est tingenda, quoties illud ita usu venit. Exploratum igitur est, istiusmodi Tincturam eximias ferre suppetias formis opulentarum virginum atque curiosarum matronarum.

Sub hæc efficaciter etiam valet hoc *Oleum Talci* ad curandos tales externos affectus cutis, quales sunt impetigines, serpigines, lichenes, nec non scrofuli pustulæque circa nasum reliquamque faciei regionem fruticantes, atque ex jecoris inflammatione suborientes; Tale vitiorum cutaneorum vulgus Oleum isthoc eliminat, subnigramque cutem cuti nativæ adæquat, lævigat atque sanat.

Ejus-

Ejusdem Usus in Chymia.

TAm in humida quàm ſicca via fixum 🜍 tranſmutat imperfecta Metalla in ☉ ac ☽.

Libentiſſimè quidem ♄ & ♀ in via humida, facillimè autem ♂ & ♃ in via ſicca. Separat ex omni ☽ cum fructu ☉ per Cæmentationem. Quod ſi illud præparatis Metallis fuerit additum, eadem Metalla per Retortam deſtillata de ſe dant vivum ☿, qui cum ☉ ſe in Lapidem tingentem fixari patitur. Si quando Demogorgon natu maximus ſeu Metallorum omnium proavus præ extrema ſenectâ planè viribus deficitur crinibuſque incaneſcit, filium ſuum natu minimum devorat, unde adeò confortatur, ut omnibus filiis ac ſervis ſuis poſſit coronas donare aureas.

NB. Filii devorationem fieri intelligas, quod ſimul atque fixum 🜍 ſenex deglutierit 🜍 crudum ſeu nondum fixatum, eo ſibi acquirat fluxum ſeu ingreſſum ope cujuſdam Miniſtri, qui diligentiſſimè ſepulchrum tantiſper cuſtodit, dum pater ac filius ſive fixum ac fuſibile fuerint mortificata ac ſimul renovata conſurgant.

Item ex noſtro canò exactæ ætatis Demogorgone per aliarum materiarum additionem conficitur albiſſimum Amauſorum genus, cujus acquiſitione potiſſimum gaudent Chryſurgi, ut illo ſua exornent artificia.

Ecce tibi jam Ratio aperiendi constituendique perpetuam ☉ atque ☽ Metallurgiam.

SUpra docuimus, quod Sulphur (posteaquam fuerit in niveam albedinem lotum pariter atque ita fixatum, ut examini ignis ferundo par sit) polleat vi emendandi Metalla omnia. Quippe albificatum illa per gradationem vertit in ☽, rubefactum verò in ☉. Cæterùm hîc intervenire solet immane obstaculum, quominus Opus tantæ utilitatis possit ex cujusque operarii Chymici voto facilem sortiri effectum, quandoquidem nimirum per fixationem suâ Sulphur pinguedine, vi penetrante ac fluxu facili ita omninò privatur, ut quasi in terram mortuam degenerârit, qualis per se sola in nullum Metallorum amat ingredi, sed mavult sibi antea ope aliorum fusibilium ritè ingressum parari, qualia sunt vulgare, immaturum 🜍 inflammabile, aut Antimonium, quæ sanè 🜍 mortificatum penetrant & tam fusibile reddunt, ut fiat capax ingressus in Metalla. Quod quum tale 🜍 combustibile aut Antimonium Metallis sit adeò noxium, ut ea efficiat atra, volatilia ac friabilia, atque ita ferè tantum perniciosi inferat incommodi, quantum fructuosi ex fixato unquam percipias commodi. Quapropter animus noster ab istiusmodi ingressu appobando alienus satagit indagare præstabiliorem. Poteſt quidem quodvis 🜍 etiamnum aliâ ratione ita fixari & rubefieri procul

procul ope ▽̶, ut naturalem suum sibi ingressum retineat: Sed hæc fixatio (quamvis ipsa sit præstitu perfacilis vilique ære parabilis) longiore tamen temporis impendio indiget. Non ita multò pòst à nobis Ratio fixandi illud tradetur: tradetur autem jam antea Modus conciliandi Ingressum innoxium huic per ▽̶ albificantem fixato Sulphuri.

Edocuimus, 🜍 prius in nostrum Sal mirabile esse reducendum, quàm acerrima ▽̶ inde abstrahatur, & post abstractionem ▽̶ esse Sal mirabile per ▽ communem à candido 🜍 fixo proliciendum, ut 🜍 dulcificetur idoneumque reddatur ad usus Medicinales. Jam verò condoceo, 🜍 per ▽̶ fixatum non edulcorandum, sed Sal mirabile apud illud esse relinquendum, id quod Sulphuri parat fluxum atque ingressum ad se penetrandum in Metalla, usqueadeò ut necessitas nos urgeat quærere Ingressum meliorem, videlicet hac ratione:

Ratio addendi fixo 🜍 Fermentum, cujus beneficio nanciscatur Ingressum in Metalla penetrativum eademque emendantem.

SUprà, quando de Modo figendi Sulphuris egimus, de eo perdocuimus, quod posteaquam fuerit redactum in Sal Mirabile, ei acerrima ▽̶ superfundenda atque inde abstrahenda sit, & quod inter abstrahendum cum ▽̶ quoque nonnihil pauculi Sulphuris volatilis adscendat, unde ▽̶ ru-

▽ rubeſcit, & quod iſtiuſmodi rubedo ex ▽ poſſit tanquam nivei candoris fixus pulvis ſeparari & ad Medicinam pariter atque Chymiam non ſine uſu lucroſo adhiberi. Enimverò hujuſmodi fixum candoris maximè nivei Sulphur non tantum perfungitur munere ſummi Coſmetici, ſed tenellum hoc 🜍 etiam omnibus Medicinæ clientibus de meliore nota commendari meretur pro Diaphoretico optimo, cui par ferè nuſquam gentium reperias. Quippe ne comparandus quidem Bezoär Orientalis eſt ad illud noſtrum. Noſter namque Bezoär eſt verum Unicornu antiquorum Philoſophorum. Philoſophicum hoc noſtrum Unicornu eſt ille caneſcentis ſenectæ Rex Mundi potentiſſimus, qui quamprimum ſuum ineuntis ætatis filium deglutivit, tanto robore vegetatur, ut crines ſuos incaneſcentes transformet in rubeſcentes ac triumphet potentiâ donandi omnibus famulis ſuis coronas aureas eoſdemque creandi Reges. Neque enim amplius tale, quale fuit, eſt *Venenum*, neu *Nigrum nigrius nigro*, neu *Fera monſtroſa* ac *horrenda in ſylva*, ſed degeneravit in noſtrum *Bezoartem* Orientalem, *Album albius albo*, *Theriacam Univerſalem*, *&c.* Tantis namque illud viribus per ſe pollet, poſteaquam juxta Methodum ſupra præſcriptam apparatum fuerit. Quod ſi cui eſt cordi, facultates ipſius exaltare, ille in caſſum non laborabit, ſi modò ante fixationem in 🜂. ☉ ſolverit, ſolutionemque hanc ☉ loco alicujus ▽ Sulphuri ſuperfuderit, viciſſimque inde abſ-

abstraxerit. Quippe quo pacto non modò ☉ apud fixum 🜍 remanebit, eique Ingressum conciliabit, sed 🜂 aut Spiritus & Sal Mundi cum nivea Sulphuris Anima simul quoque mundam Animam ☉ secum ad adscendendum evocabit atque ita Medicinam longè præstantiorem subministrabit quàm si saltem Anima Sulphuris sola adscendisset, prout quilibet facilè addivinare poterit. Si quis denique differtur cupiditate operandi melius, ille poterit cum Sale Mirabili Sulphureo insimul quoque ☉ in crucibulo dissolvere & mox inde acerrimam 🜄 abstrahere; quâ viâ ☉ cum 🜍 tantò melius unietur. Ego quidem de hoc Operandi genere etiamnum plura evulgare possem, sed quum me (quippe qui jam ferè plura edisserui quàm par est) nulla prorsus necessitas ad publicandum instiget, residuis supersessum volo.

Rationem autem provehendi niveum 🜍 fixum in rubedinem hîc condocet laudatus ille Paracelsus fieri per Ignem flammantem, non tamen clausum, prout ipse exarat, sed apertum. Hac enim viâ rubescet, quod alioquin album permaneret. Illud verò, cui ☉ addideris, Reverberationem non desiderat, quippe quoniam per ☉ migravit in colorem purpureum, & ☉ ipsum etiam mediante 🜍 fixo irreducibile evasit & in Tincturam abiit, atque ita nulla ulteriore Exaltatione indiget. Quicunque igitur Deum habuerit tam propitium, ut ipsi nostrum hoc elargiatur Sal Metallorum unà cum cognitione conjungendi illud cum purissima
illa,

illa, quæ adſcenderit rubicunda, Anima Sulphuris & ☉, ille ſe in Medicina ac Chymia Coryphæum præſtabit: quicunque verò tam cæcus, excors cerebroque caſſus fuerit, ut cernere nequeat, quæcunque ego hic adeò prolixe elargior, is ſanè tam inſanabili laborat cæcitate, ut ſaluti ipſius conſulere nequeas, etiamſi vel geminum conſpicilium naſo ipſius imponas. Commodè autem deſcribere Modum taliter figendi 🜍, ut ſuum retineat Ingreſſum, quo ſe penetret in Metalla, non eſt hujus loci, ſed (Deo permittente) pervulgabitur ſequente cap. IV. ubi de noſtro Secreto Sale Armoniaco agetur. Subſequitur jam

Modus parandi perpetuam ☉ & ☽ Metallurgiam adminiculo Sulphuris fixati.

Reſciſcat Lector benevolus, me non diffiteri, quod, quæcunque hîc de perpetuâ Metallurgia ſcripturus ſum, egomet nunquam attentaverim, neque elaboranda curaverim. Enimverò Sulphuris fixatio mihi vix abhinc biennio aut triennio innotuit, à quo temporis curriculo uſque ego ferè jugiter tantâ corporis invaletudine conflictatus ſum, quanta vix tot vires reliquit illæſas, ut ego nonniſi mea Secretiora (quippe quæ mihi enixius cordi fuerunt quàm ullum unquam fixum 🜍) proſequi potuerim. Interea loci tamen nullus intermittere potui curam conferendi cogitationes meas in talem Methodum, quali inven-

tâ quis poſſet ope fixi Sulphuris ex Metallorum transmutatione fructum capere lucroſum, illud nulla faciliore poſſe via confieri deprehendi, quàm ſi quis ex elixiviato & à fecibus per colaturam depurato cinere (non oſſium, ſed) lignorum in ciculos ferreos grandia cineritia ſeu teſtas cudendas curaret, cinerique illi lignorum nonnihil pauculi Sulphuris fixi admiſceret atque juxta Methodum Artis vulgatam argentum cupro mixtum ſuper iſtiuſmodi teſtis cum ſuo additamento plumbi debito cupellari curaret. Hac n. via ☽ aſſinaretur, at ♀ & ♄ in teſtam tranſiret, quemadmodum aliàs quoque in cæteris argenti affinandi modis contingere ſolet. Has teſtas (quas conſervabis, uſque dum tot habueris, quot uſibus tuis ſufficient) more ſolito fac per furnum fuſorium tranſire, tunc in forti Igne fuſorio illud ♀ & ♄, quod in Teſtam tranſiit, fixum 🜍 aggreditur ſibique ita attrahit, ut utrumque inde argento auroque imprægnatum egrediatur: quod ♄ cupro ſecundum ſuper ejuſmodi cum 🜍 præparata Teſta ſi cupellabis, ☉ & ☽ ſuper Teſta reſtitabit, at ♄ & ♀, prout antea contigit, in Teſtam tranſibunt. Quibuſcum ſi item ut antea procedetur, infallibiliter per talem cupellandi viam paulatim ope fixi 🜍 ex ♄ & ♀ quantitatem ☉ & ☽ non contemnendam nacturus es. Ex quo operandi genere in omnibus illis regionibus ubi non laboratur ligni carbonumque penuriâ, ſibi nemo non parare ſat poſſet, unde lautè viveret. Licet enim in-

ter excoquendum in testa nonnihil ♄ & ♀ in scoriis pereat, hæc tamen minor jactura ex Metallis pauperioribus nullatenus est comparanda ad lucrum ex Metallis ditioribus. Ita quippe hæc Operatio majore non constat nisi precio carborum ad cupellandum. Damnum autem in ♄ & ♀ factum pensatur opulenter ex ☉ & ☽ acquisito. Hoc Amatoribus Artis communicatum volui. Igitur si nonnuspiam locorum habentur fusores curiosi, quibus hic Processus arridet, faciant periculum, sin minus, meâ nihil intererit; ego namque in talibus nihil periclitabor, quippe qualia requirunt hominem vegetum patientemque Vulcani. Nullus interim dubitârim, non defore, qui inter tentandum inventuri sunt fortunas ingentes, quorum conatibus ego divinam apprecor benedictionem ac ruminandum exhibeo proverbium antiquorum: *Per Saturnum & Martem, Ignem atque Artem Thesaurus foditur*. Mars est fixum Sulphur; multum etiam ad ♄, sed tantum non confert quantum 🜍 fixatum, quod multò purius est quàm rude ferrum, prout nos docet Experientia magistra.

De ulteriore usu fixati Sulphuris in emendatione Metallorum, idque viâ humidâ, per fixantes graduantesque Aquas Fortes, quarum acrimonia seu vis corrosiva prius ope fixi 🜍^is ita fracta fuit, ut Metalla non dissolvant, sed tantùm penetrent, in gradum excellentiorem collocent & pro natura Sulphuris vel in albedinem vel rubedinem tingant constantem. Ex-

Exploratum est nobis, quod nihil tingat nisi 🜍, idque pro sua natura in rubedinem vel albedinem secundum viam & siccam & humidam. In via sicca necesse est 🜍 esse tam fixum ac fusile, ut conjectum in Metalla candefacta ingrediatur tanquam oleum in corium aridum. Audivimus quoque, quod in fixatione per fortes Aquas corrosivas suus Sulphuri ingressus, facilis fusio atque Metallica pinguedo ita adimatur, ut potius videatur similis Terræ mortuæ quàm Metallicæ substantiæ, usqueadeò ut non nisi singulari quadam arte atque industria reddi ipsi queat ingressus in Metalla. Istiusmodi autem Ingressus fixo 🜍 sicco meliorem in modum dari nequit quàm per Mercurialia Metalla mundificata, nempe ☉ & ☽, & quidem ☉ in rubedinem, ☽ autem in albedinem. Quod si dexterius processurus], 🜍 fixum cum Sale Metallorum legitimè univeris, nanciscetur illud Ingressum in omnia Metalla, prout deinceps in descriptione Salis Philosophorum videre erit. Cæterum si quem fortunæ favonius adeò afflaverit, ut talem inveniat Aquam, qualis polleret vi solvendi fixum 🜍, ille gavisurus esset tali Aqua gradatoria, quali nigrum ♄ leprosum in candidissimum ☽ purum converteret, & non ♄ tantummodò, verumetiam ♃, ♀ atque ♂, omnium tamen promtissimè ♄. De Aqua autem illa gradatoria, quantum mihi quidem licuit experiendo cognoscere, sic habeto: Quod omne 🜍 lavando albificatum fixatumque Metalla emendet,

det, quacunque tandem illud ratione in ista introducatur seu ingressum nanciscatur. Quemadmodum igitur artis atque industriæ est, fixo 🜍 ingressum siccum conciliare: Ita etiam non minoris artis atque industriæ est, fixum 🜍 in Aquam convertere, quâ Metalla viliora in præstantiorem Auri atque Argenti gradum exaltentur. Conversurus igitur fixum 🜍 in Aquam, observet, quod Aqua hæc non debet esse tam fortis, ut Metalla solvat, sed tantula duntaxat acrimoniâ afficiatur, quantulâ saltem queat illa penetrare & in Sulphur talem formam humidam introducere, quasi tingantur illa vel albore vel rubore, prout Aqua gradatoria fuerit confecta vel ex rubente vel ex albente 🜍. Quicunque igitur fixum 🜍 in Aquam mutare calluerit, illi aperta erit via compendiosa gradandi viliora Metalla in ☉ & ☽, quam ad operationem ♄ est omnium accommodatissimum, idque ideò quod Aquæ fortes promtius Metalla alia quam ♄ aggrediantur atque dissolvant; dissolvere quippe noxium est, quandoquidem Metalla in gradatione non sunt solvenda, sed tantum debent penetrari, & in conservatione suarum formarum, prout injecta sunt, sine ulla prorsus imminutione in Metalla meliora transmutari, id quod in ♄ factu facillimum est: Veruntamen quævis Aqua fortis, licet ei vel triplam quantitatem aquæ communis adderes, ♄, ♃, ♀ & ♂ aggreditur atque solvit, id quod, ne fiat, ita præcavendum est: In memoratam Aquam gradatoriam,

riam, in qua fixum 🜍 ineſt, nonnihil Salis communis injice, tunc Aqua fortis fit plumbi hoſtis, illudque aggreditur, non quidem ut illud ſolvat, ſed ſaltem ut penetret atq; 🜍 fixum introducat, unde plumbum, poſteaquam illud quaſi XIV. dies in eo jacuit, inturgeſcit atque albeſcit, remanente ejus dimidio ſub teſta ſeu ſuper capellâ. Quantò autem diutius Aqua gradatoria ibi remanſerit, tantò magis plumbum emendabitur.

Quod ſi fixum 🜍 tam facilè in Aquas gradatorias converti poſſet, quàm facilè idem poteſt fixari, ſanè in toto terrarum orbe vix ullum particulare aliud quàm hoc exoptari poſſet, cujus ope opes ingentes acquiri poſſent. Iſtiuſmodi quippe humida gradatio ferè nihil moleſtiæ operæque exigit, niſi ut granulatum plumbum ad tempus conjiciatur in Aquam gradatoriam & poſt gradationem inde eximatur atque cupelletur; utpote quod operandi genus à Chymicis non niſi pro puerili putetur.

Contrà, nôſſe ac poſſe fixum 🜍 convertere in Aquam gradatoriam, eſt præcipuum artificium: ad quod participandum ille plurimum operæ conferat, cuicunque in animo eſt Sulphuris fixi beneficio lætos uberesque fructus ex Chymia ferre. Quid quæris? Stylo cuncta dicenda dilucidè explanari nequeunt. Sed enim ſi quis adeptus fuerit Sal Metallorum, ille iſto in via humida fixum 🜍 perfacilè in Metalla uſque eò introducere poterit, ut ipſo emendentur. Hactenus itaque Fixatio-

tionem Sulphuris sat perspicuè descripsi atque prolixè commonstravi, qualiter eidem per viam humidam pariter atque siccam inveniatur Ingressus. Quare quicunque suâ magni putaverit interesse, ille secundum præscripta ista se exerceat, usquedum comperiat, quantum boni ipsi favor Dei elargiatur. Enimverò à Dei benedictione dependet prora atque puppis nostræ spei.

Interea loci investigatorem Artis nolim celare hoc unicum artificiosum manuale *Compendium convertendi* facilius solito *Sulphur* in Aquam gradatoriam. Nos supra audivimus, Aquam Fortem sibi nullum invenire Ingressum ad ♁ figendum, priusquam iste illi conciliatus ope Salis Mirabilis fuerit. Quum igitur via Salis Mirabilis parandi detur varia, atque unum illius sit semper altero præstantius, in Sulphuris præparatione cauto opus erit, ut Sulphur ita tractetur atque accommodetur, ut ab acri Aqua Forti extempore dissolvi atque non item in pulverem album præcipitari queat. Nisi enim hoc fieret, ab Aqua Forti quidem illud fixaretur, sed evaderet perdifficile dissolutu. Atenim si illud prima vice dissolvi potuerit, post fixationem denuò perfacile solutu erit. Id quod observatu dignum fructuosumque est. In hoc enim versatur totius Artis cardo. Si quis igitur in laboribus Ignis Spagyricis fuerit exercitatus, ille isthoc præscriptum facilè dabit effectum; sin minus, irritam operam operabitur, & Minervali mulctabitur, idque non sine beneplacito Dei,

quippe qui non vult, ut omnis homo ditefcat. Verumenimverò fi quis tacta poterit acumine indefeffæ perquifitionis contingere, ille Deo ac mihi gratias debebit, fin minus, poterit infelicitati fuæ errorem imputare, quandoquidem ego tam aperte effufeque perfcripfi quàm nemo quifquam ante me unquam. Ex abundanti deliberatum eft mihi etiamnum unum præcellentiffimi Secreti genus detegere, cujus nimirum beneficio fixum 🜍 facilè in Aquam gradatoriam commutari queat, idque viâ fequente:

Tale 🜍, quali natura plus efficaciæ ingeneravit quàm communi, tibi elige, tale, inquam, quale eft quadantenus Mercuriale & in quali fe produnt talia naturæ operatricis primordia, ut inde Metallum aureæ indolis confici queat. Iftiufmodi autem Mercuriale 🜍 ferè apud omnem Auri Metallurgiam reperias, illudque naturaliter rubens quoad externum colorem pariter atque internum, ac Paracelfo dicitur aliàs *Sulphur Embryonatum*, aliàs *Sulphur Cinnabarinum*, aliàs *Electrum Minerale immaturum*, fofforibus autem metallicis vulgò *Flos Auri*; quinetiam in eo ineffe deprehendas magnam communionem fimilitudinemque cum *Auripigmento* atque *Antimonio*. Hoc itaque Sulphur eft Mercuriale & Metalla contingit aliquantò propiore affinitate quàm vulgatum 🜍 fimplex: quippe poft fixationem eft folutu facilius & ante fixationem tractatu habilius quàm 🜍 commune, quod nullius Mercurii parti-

ceps

ceps est. Deinde hoc 🜍 in abstractione Aquæ Fortis de se plus teneræ Tincturæ elargitur quàm ullum aliud vulgare. Quin etiam isthæc pura Anima multo melius in Medicina atque Alchymia adhiberi potest, quippe quæ insimul Mercurialis est atque proinde efficacioris virtutis quàm ulla Anima Sulphuris Communis.

NB. Commune 🜍 non tam facilè præparatur ad solutionem quàm hoc, quippe quod est Mercuriale & proinde plus communionis habet cum Aquis Fortibus, ut illarum ope dissolvatur; & postea quam illæ fuerint solutæ, in distillatione meliorem etiam de se dant animam, fixumque 🜍 quod retrò remansit in fundo, plus virium præstat in Medicina quàm alterum ex 🜍 vulgari. Enimverò quantò perniciosius fuerit venenum ante fixationem, tantò efficacior evadet Medicina, postea quam venenum per fixationem fuerit inversum atque in Antidotum seu Theriacam conversum seu præparatum. Istiusmodi Sulphur quoque aliâ etiamnum viâ commodius quàm per Sal Mirabile ad facilem solutionem (quæ sanè est res magni momenti) præparari potest; id quod probè notandum est.

Hanc quidem brevem, necessariam tamen Admonitionem ex superfluo in gratiam Indagatorum Artis subjungere placuit, ut sciatur, quod Sulphur unum alteri præstet adhibendo ad præparationem memoratæ Aquæ gradatoriæ. Cæteroquin illud notum 🜍 vulgatum pariter atque al-

terum lignis innatum eſt uſibus Medicinalibus Chymiciſque ſat conducibile ad lavandum figendumque. Plura igitur hac vice non habeo admonere. Interea loci ſi quis flagrat deſiderio elaborandi, ille omnia ad Intentionem ſuam facientia ingenioſè ruminetur fortuniſque ſuis glorioſè velificetur. Et ego enim omnia procul ulla invidentia aut reticentia tam apertè expectoravi, ut penes me nulla prorſus lateat lata aut levis culpa: Tuæ verò errantis infelicitati, mi Lector, ego aliter conſulere non potero niſi reſcribendo: Ne te pigeat noſtra aliorumque tantiſper calcare veſtigia, dum ad fortunatum exoptatumque finem, quo opus tuum coronetur, pervenias. Id quod ociando in deſidioſis Vacuæ caſtris nullatenus unquam conſummabitur. Quibus ita gratis communicatis ſua quiſque deſideria expleat & mihi nihil prorſus negocii unquam amplius perquiſitionibus moleſtis faceſſat.

COROLLARIUM.

NOs jam in iſthoc Tractatulo percepimus Modum, quo quodvis nigrum, volatile ac combuſtibile 🜍 intra unum unius diei ſpacium lavando in niveum candorem converti, fixum atque in Igne conſtans reddi poſſit.

Deinde qualiter in fixatione, *Aqua Fortis*, etiamſi à 🜍 abſtrahatur, inſimul ſecum Animam Sulphuris puriſſimam abducat abductamque reddat

fixam

fixam atque in Igne incorruptibiliter perdurantem, & præterea non modò præstantissimum sit remedium pellendi morbos hominum graviores, verum etiam polleat virtute transmutandi Metalla imperfecta in ☉ & ☽, attamen particulariter duntaxat, cum destituatur tali ☿, qualis se sat longè extendat suâ efficacia.

Consimiliter audivimus, qualiter crassiori Sulphuris parti, quæ remansit in fundo, per viam tam siccam quàm humidam concilietur Ingressus ad emendanda cum fructu Metalla.

Denique cognovimus, Sulphur unum antecellere alteri, illud autem excellentius haberi, quod naturaliter in se gerit ☿ purum, & cumprimis excellentissimum comprobari, quod ante fixationem censetur venenatissimum, idque inde potissimùm, quod summum quodque venenum post præparationem semper abit in summum Medicamentum, & quod ejus melioratio se efficacem in Metallurgia multò longius exporrigat quàm 🜍 vulgare. Quapropter ego adhuc loci vehementer etiam atque etiam Amatoribus Artis commendatum volo *Antimonium*, rubens *Arsenicum*, flavens *Auripigmentum*, cinereum *Cobaltum*, *Cakimiam* atque *Zincum* grave cum *Bismutho*, quippe quæ omnia sunt præstabiliora Sulphure communi. Elaboraturus autem istiusmodi Subjecta venenata, præcaveat sibi obnixè à fumis ipsorum graveolentibus. Ut enim ejuscemodi Subjectum ante præparationem est merum Venenum, ita inter

præ-

præparandum venenata ipſius indoles magis magiſque augetur, ſed poſt præparationem fixationemq; illud quod fuerat lethiferum, jam degeneravit in ſaluberrimum Antidotum, ſeu Theriacam præſentaneam adverſus omnia alia Toxicorum genera.

NB. Quicunque ab omni periculo ſecurè abeſſe amat, illi conſuluerim, ut prius addiſcat Modum fixandi aliquod 🜍 commune, quàm arcem talium venenorum noxiorum temerè invadat.

Quæcunque igitur nos hactenus edocuimus, non ſunt res vulgares aut Artes antehac ſat cognitæ, ſed mera *Arcana Magna* eaque nuperrimè inventa. Ecquis enim credidiſſet, quod 🜍 commune ceu Ens ex facili inflammabile ac cremabile intra diem unum ita fixari poſſit, ut adverſus omnes Vulcani dentes perſtet illæſum? Quis ſibi perſuaſiſſet, quod quævis venenorum venenatiſſima, veluti *Cobaltum*, *Arſenicum* conſimiliaque intra diem artificialem poſſint inverti eorumque venena mortifera in Antidota ſalutifera converti? Quis denique unquam approbâſſet, quod ex fugaciſſimis Subjectis Mineralibus, videlicet 🜍, *Antimonio*, *Arſenico*, *Auripigmento* & id genus aliis ſpacio unius diei poſſit præparari Tinctura in igne conſtans ad Corpora humana ac Metallica? Nemo niſi nos illud tam evidenter in hocce tractatu puſillo demonſtrâſſemus, ut tantum non manibus palpari queat. Hinc, prout dixi, dicere perrecturus ſum, quod ego in iſthoc meo Tracta-

ctatulo tanta revelavi Arcana nomentosa, de quantis post hominum memoriam nemo unus unquam quicquam publicavit dilucidius me.

Quod si quis fortè fuerit avidus discendi, *unde talis subita fixatio Sulphuris combustibilis*, atque *talis repentina metamorphosis atrocissimorum venenorum exoriatur*; Huic ego jam sum causam aperturus. Sat constat inter nos, quod *Spiritus Nitri* pariter atque Aqua Fortis ex Vitriolo ac Halinitro destillata tali polleant indole ignea, quali omnia combustibilia volatiliaque Mineralia maturentur. Maturata autem quæ sunt, illa etiam insimul fixa sunt, perinde ut & fixa necesse habent esse matura & per consequens non amplius noxia seu mortalibus mortifera. Quicquid enim est asperum, crudum atque immaturum, ventriculus hominis nequit digerere, sed illud instar veneni à se rejicit atque excutit, quo lædi possit; quemadmodum conspicias in Catharticis omnibus tam Vegetabilibus atque Animalibus quàm Mineralibus, quæ ob immaturitatem suam stomacho hominis sunt tali saburræ, ut illa vel per superiora evomat vel per inferiora excernat. Purgantia enim quantò plus crudi aut immaturi in se continent, tantò fortius evacuare assolent. Hinc usu venit, ut ex præscripto Medicorum nunquam Subjecta nimio violentius expurgantia prius in corpus ingurgitentur quàm igne emendentur. V. g. Squillam nimio vehementius purgantem pariter atque Diagridium massæ cuidam farinaceæ inclusa percoqui

qui curant in pistorum furnis ad corrigendam eatenus in eis vim purgandi excessivam, ut evacuent moderatius securiusque. Antimonium immoderatè purgans vel nudo carbonum igne vel communi halinitro ac Tartaro excoctum seu fusum tantatenus corrigitur, ut citra vehementiam purget. Idem autem à Spiritu Nitri ita corrigitur, ut omnem omninò vim purgandi amittat & loco virtutis catharticæ non nisi vim eliciendi sudorem expellendique urinam acquirat.

Tartarus vulgaris intra Corpus assumtus perfungitur munere Cathartici: idem autem, posteaquam suam ipsi aciditatem in regionibus Mundi calidioribus calor solis maturantis ademerit atque ipse in Vini fermentatione in Spiritum igneum abierit, vim purgandi nullam amplius exserit, sed Purgantia potius infestat eaque ita emendat, ut nequeant tantâ vehementiâ expurgare quantâ abutebantur ante Correctionem, prout est à nobis jam demonstratum, ubi egimus de Extractione Purgantium Vegetabilium. Itaque si vulgaris carbonum Ignis atque Spiritus Vini corrigit Vegetabilia atque Animalia immoderate purgantia, quidni fortissimus etiam Salis Ignis, qualis est Aqua Fortis, corrigat venenatissima Subjecta Mineralia, eademque qualitatibus noxiis exuta in Antidotum seu Theriacam transmutare valeat. Ex quibus omnibus satis liquet, quod vel venenatissimis Subjectis corrigendis Spiritus Salis Minerales sufficiant, usqueadeò ut illa veneno omni per-

perniciofo privari atque in Medicamenta ſalutaria commutari poſſint. Quapropter nullus dubitârim, quin Lector benevolus per iſthæc paucula jam ita demonſtrata ſatis intellexerit cauſam velocis iſtiuſmodi Correctionis ſeu Fixationis omnium volatilium venenatorumque Subjectorum Mineralium. Quando Philoſophi antiqui per Apologos Poëticos deſcripſerunt laborioſam *Jaſonis navigationem* in *Colchidem* inſulam, ubi incolebat immanis ille *Draco* ignivomus, qui oculis nunquam clauſis pervigil cuſtodiebat *Aureum Vellus*; hoc addiderunt, quod *Jaſon* à ſua conjuge *Medea* edoctus ſit, ut *Draconi* ejuſcemodi vigili objiceret Medicinam eſculentam deglutiendam, unde enecaretur aut diſrumperetur, atque ut mox Jaſon Draconem ita interemtum in Mare Stygium omninò abjiceret penituſque ſubmergeret. *Jaſon* in hac ingenioſa fabula hieroglyphicè repræſentat Philoſophum; *Medea* accuratas meditationes; Laborioſa periculoſaque *navigatio* ſignificat multiplices *labores* Chymicos; pervigil *Draco* ignivomus notat *Halinitrum* ac *Sulphur*. At *Aureum Vellus* eſt *Tinctura* ſive *Anima Sulphuris*, cujus ope *Jaſon* patri ſuo ætate confecto priſtinam ſanitatem reddidit divitiaſque immenſas ſibimet ipſi acquiſivit. Per Pilulas *Medeæ* intelligitur præparatio Sulphuris & Sal Mirabile. Per totalem autem *Draconis ſubmerſionem in Mari Stygio* innuitur Fixatio Sulphuris per Aquas Stygias, id eſt, Fortes. Ex quibus ſat videre eſt, quàm ob-

obſcurè Philoſophi priſci Fixationem Sulphuris per Nitrum deſcripſerint & quàm ſecretò illam ab oculis indignorum abſconderint. Quod autem ego jam in hoc Tractatulo omnia tam apertè expromam ut nihil ſupra, non ſine ratione factum eſſe reſciſcas. Sufficiat ſi quis Modum talis Fixationis ritè perficiendæ cognitum habeat.

Poſteaquam quodlibet 🜍 combuſtiblle per 🜄 vel 🜅 fuerit fixatum eique ☉ & ☽ in fixatione additum, additum hoc ☉ ac ☽ poſt fixationem nequaquam amplius eſt vulgare ☉ vel ☽, utpote quod non viciſſim in 🜄 aut 🜅. poteſt diſſolvi, neque ſuper capella in ♄ ingreſſum adipiſci, ſed velut in ſiccam degeneravit terram, quæ neque Borrace, neque aliis uſitatis fluoribus in Corpus ductile reduci poteſt. Si cui volupe eſt id experiendo cognoſcere, ille ſolvat in 🜅 ſemunciam ☉, ſolutionemque hanc injiciat in 1. ℔. alterius 🜅 pariter atque hanc 🜅 ſuperinjiciat 4. unciis puri Butyri Antimonii, & 🜅 inde abſtrahat: Tunc comperiet, quod illud Aurum, quod in 🜅 infuit, ſe miſceat radicaliter cum Sulphure & Mercurio Antimonii, uſqueadeò ut Butyrum Antimonii non modò evadat fixum atque irreducibile, ſed ☉ etiam reddat tam irreducibile, ut deinceps non amplius ab Antimonio ſeparari queat, ſed eidem in quovis examine inhæſivum maneat: ſolo autem Sale noſtro Metallorum Secreto edomari, volatiliſari ſeu fuſibile reddi atque in alia Metalla ita introduci poteſt, ut inde emendentur.

Si igitur iſtiuſmodi deſtructio ☉ per Antimonium fieri poteſt, cujus pars vix dimidia eſt Sulphur, maxima verò Mercurius: quidni illud multò potius præſtaretur à Sulphure communi, quod expers eſt omnis Mercurii? Ego in locis illis omnibus, ubi de fixatione Sulphuris docui, ſemper ſedulò commoneſeci, ut illa 🜄, quæ à Sulphure abſtracta fuerit, & cumprimis illa, quæ Auri particeps eſt, accuratè aſſervetur, quippe quoniam cum 🜄 ſimul Tinctura Auri Sulphuriſque puriſſima adſcendit, quæ utique tam fixa, ne dicam, magis fixa ſunt quàm quod in fundo reſtiterit: Id quod ex ſuperabundanti ego Artis noſtræ indagatoribus communicatum volui. Quare ſive participata obſerventur ab ullo Lectorum, ſive ab nullo, nullus laborabo, ſed lætus ruminabo, me, quod mei fuit officii, feciſſe, atque tanta præſtitiſſe, quanta ante me nemo unus, dum nimirum palàm perdocui Modum proliciendi intra paucas horas ſeu mediante Diſtillatione unâ ex ☉ & 🜍, aut ex ☉ & Antimonio Tincturam fixam. Interea loci ſi quod caput audax nonnullibi gentium inventum vanè gloriari præſumat, ſe callere Methodum parandi melius nobiliuſve quid ex talibus vilibus deſpicabilibuſque Subjectis, videlicet Sulphure & Antimonio, intra tantillas temporis moras ac horas, ille prodeat in lucem, ut Artifici ſpectato fidem habeamus. Atqui perſuaſum habeo, quod Fratres Ignorantiæ ſuperbi malevolique ceu conjurati Veritatis hoſtes malent

lent cum curta sua supellectile perspecta secum habitare atque instar bubonum vespertilionumque lucifugarum in tenebras cavernarum suarum avolare.

Sunt qui scribunt, sororem Mosis *Mariam* Prophetissam scivisse Artem elaborandi *Tincturam* intra triduum, id quod plerisque Pentateuchi peritis videtur incredibile. At quid bona pars memoratorum æmulorum censebit, simulatque inaudierint, quod GLAUBERUS publico Scripto procul ulla celandi via ex presse edocuerit *Modum* conficiendi intra diem unum ex ☉ & *Antimonio* fixam Tincturam ad omnes desperatos hominũ morbos. Procul dubio diffamatum ibunt, *Omnia esse ex mendaciis conflata atque præstitu impossibilia.* Quorum imperitiæ pariter atque nequitiæ quadantenus ignosci posset si calumniis suis adderent: *Nostro Ignorantium cerebro malesuado.* Si enim seipsos recte nôssent, aliorum experientiam nunquam protervè improbarent ac sugillarent. Sed quid ex adverso super istiusmodi improbo nebulonum manipulo rescribamus? Nil nisi illud proverbiale: *Effœminata effœminatorum oratio,* juxta hoc triviale:

Pro rostri forma cantillat avicula quævis;
Sic qualis vir erit, talia verba facit.

Ita namq; fert inveteratum cacoëthes talium infrunitorum famæ prædonum, ut nihil mediten-

tur

tur aut machinentur, nisi ut aliis dona Dei nobiliora invideant, eosque Theonino maledicentiæ dente mordeant. Nomina quidem sua tales bipedum nequissimi Zoili in suis evalgatis libellis famosis nondum uspiam expresserunt, ex parte tamen mihi hæc jam adeò innotescunt, ut planè stet sententia publicandi propediem adversus eos Calendarium Apologeticum, ubi tanquam in panegyrica nomenclatura omnia sua Calumniantium nomina conspicient expressa. Quippe impræsentiarum pertæsum est, fusius de istiusmodi tenebrionibus scribere.

Ego quidem libenter plura de Modo celeriter figendi Sulphur edisserere voluissem, sed rationibus vetor prægnantibus. Cæterum facere prorsus non possum, quin saltem etiam hæc paucula de eo commemorem, videlicet; Quod 🜍 quodlibet absque ulla ope Ignis externi, per solum Secretum Ignem invisibilem, qui 🜍 combustibili additur, & ad temporis pusilli duntaxat loco frigenti exponitur, æquè album, fixum ignisq; vim perferens reddatur, quã per Abstractionem Aquæ Fortis, usqueadeò ut hæc frigida fixatio Sulphuris per Secretum nostrum frigidum humidumque Ignem (cum ipsa nullo prorsus egeat igne communi, nullâ cucurbitâ cum alembico, nullâ Retorta cum Excipulo consimilibusque) tactæ illi alteri Fixationi per Aquas Fortes longè præferenda sit; cujus gratiâ gratias Deo Opt. Max. cantemus immortales atque laudes. Quod si quid nimio brevius obscu-

riusve in hoc Tractatulo à me descriptum esse uni alterivè Lectorum videbitur, illi ex ambobus subsequentibus Tractatulis, ubi de Mercurio & Sale Philosophorum agetur, desideria sua explere poterunt: quorsum ego jam quemvis avidum Artis nostræ ablegatum volo.

DE MERCURIO PHILOSOPHORUM.

De

Secunda Parte Trium Principiorum Metallorum,

Nempè

DE MERCURIO,

QUonam ille Modo ex omnibus non tantum Metallicis sive Mineralibus, verum etiam Animalibus Vegetabilibusque Subjectis facili negocio extrahi, atque Auri ope ex eodem vera Tinctura ad Tria Regna parari possit.

Nos ex consensu verorum Philosophorum omnium certò scimus, quod ☿ ex tribus Metallorum Principiis sit pars purissima, purissimisque etiam Metallis suapte sponte propterea adhærescat eademque semper potiori amore amplectatur quàm impuriora. Exempli gratiâ: ☿ omnium liben-

libentissimè adhæret sui simili ☿, deinceps adamat ☉, porrò ☽, postea ♃ & ♄, itemque ♀; sed ♂ invitissimus conjungitur, idque ideò quod se malit miscere cum sui simili quàm dissimili. Est namque prorsus homogeneus omniumque partium heterogenearum expers, cujusmodi item sunt ☉ & ☽. Cæterorum Metallorum maxima pars est Heterogenei quid, etiamsi nullum prorsus detur Metallum imperfectum, quod in se non habeat aliquantam partem Homogenei, ita tamen ut inde plus participet Metallum unum quàm alterum, prout de hac hypothesi scatent Philosophorum libri. Quapropter verus Philosophus haud asseverabit, quod Tincturæ beneficio totum Metallorum impurorum Corpus in ☉ vel ☽ transmutari possit, quum virtus præstandi illud ne ipsi quidem Lapidi Philosophorum insit. Quia immaturum, immundum, olidum combustibileque Sulphur superfluum Jovis, ♄, ♀, ♂ nequaquam intra tantillum temporis, quantillum Projectioni impendi vulgò solet, in ☉ converti potest, etiamsi plus satis Tincturæ superinjicias, sed verò illud Metallum, quantum in se habuerit partis homogeneæ, id est, Mercurii, tantum ejus saltem in ☉ tingitur ac figitur, ulterius non item. Partes namque homogeneæ, hoc est, 🜍 superfluum comburens se in forma scoriæ separat ab illo in ☉ tingente Mercurius, quàm nullam cum ipso habeat communionem; quemadmodum ego assiduè investigando comperi, & sequenti quoque

capite, ubi de Sale Philosophorum agetur, prolixiore fundamento demonstare animum induxi. Videamus jam Modum, quo verus ☿ Metallicus non tantum ex Metallis Mineralibusque, verum etiam ex omnibus Animalibus Vegetabilibusque *pusillo labore* extrahi queat. Dixi, *pusillo labore*, idque respectu peritorum. Imperitorum namque respectu haudquaquam est res *pusilli laboris*, sed omni ætatum memoriâ habitum vel ab experientissimis quibusque Artis nostræ amatoribus fuit *Secretum Secretorum* atque proxima via perveniendi ad veram *Medicinam Universalem*; neque unquam minori in precio habebitur, cum in tota rerum natura inveniri nequeat purior Materia, ex qua confici possit Lapis Philosophorum quàm unicus ille Mercurius Metallorum solus. Interea loci est dijudicatu facile, notabiliter Mercurios Metallorum inter se differre, eorundemque alterum altero meliorem conducibilioremque esse ad parandam inde Tincturam ad corpora humana atque Metallina. Semper namque alter alteri colore seu Tinctura præstat. Ex facie quidem externâ ferè nemo quisquam potest certò scire, ex quonam Metallorum Mineraliumve haberi possit Mercurius optimus; veruntamen juxta generalem Philosophorum opinionem plerumque præstantissimus censetur paratus ex Vitriolo Martis & Veneris, quum hæc ambo Metalla sint fœcundissima Tincturis. Ego verò Experientiâ edoctus certum habeo, quod ex nigro cinereoque ♄ acqui-

quiratur ☿ tam excellenter tinctus quàm ex utroque Metallorum illorum rubentium ♂ & ♀. Interim nullus diffiteor, quod ♂ & ♀ unà cum ♂ inter omnia Metalla imprægnatus ſit 🜍ᵉ in ſummis gradibus tingente, prout antiqui Philoſophi his paucis verbis compendiosè expreſſerunt: *Viſitabis Interiora Terræ, Rectificando Invenies Occultum Lapidem Veram Medicinam.* Quibus verbis Vitriolum datur cognoſcendum, quod per ſe nihil aliud eſt quàm Solutio Martis & Veneris, opificio Naturæ parata. Vitriolum autem taliter naturâ præparatum nunquam prodit tam purum defœcatumque, quam illud quod ex probo chalybe ac puro ♀ ope Olei Sulphuris, aut, eo deficiente, Olei Virioli paratum eſt, quia Nativum in ſe continet plus terreſtreitatis quàm Factitium. Sed ut redeamus ad noſtrum ☿, commonefactos volo Amatores Artis noſtræ omnes, ut meditationes ſuas præcipuas ne conferant ita in vulgare ☉ atque ☽, ut ex his ſuum ☿ & 🜍 extrahere connitantur. Quia vulgare ☉ & ☽ ſunt omninò Homogenea & nihil prorſus Heterogenei in ſe habent; ac proinde tractatu difficilia ſunt: & licet ipſa eſſent tam facilia tractatu quàm ♀ & ♂, illis tamen uti, utilitati fere eſt nemini, quum ipſa magno conſtent, & multò plus Tincturæ in abjecto ac neglecto ♂ reconditum ſit quàm in ☉; quæ ipſa Tinctura quidem nondum eſt fixa, ſed ita volatilis, ut ex facili tamen fixari poſſit. Quocirca ego conſuluerim, ut quis ☿ in ♄ & 🜍 in ♂ quærat. Quod ad ☉ attinet,

ego quoque quondam multum operæ consumsi in eo per ignorantiam absque ullo emolumento, dum aliquammultas ejus libras tam damnosè dissipavi, ut aliorum quemque ad talem viam tutiorem ablegare valeam, qualem si quis mihi præmonstrâsset, ego ferè nunquam in vanum laborâssem. Ægrè autem crediderim, quod nolentes adhibere ☉ vel ☽ vulgare possint præparare idoneam Tincturam ad Metalla Imperfecta tingenda in ☉. Quia commune ☉ atque ☽ non tantum Tincturis, quæ ex ♀ & Mercurio Philosophico originem ducunt, facilem præbent Ingressum, sed promovent etiam fixationem volatilis Mercurii, quapropter illis ægrè in Compositione Lapidis Philosophorum carere possumus. Hæc itaque paucula cognoscenda sibi habeant amatores Artis pro informatione. Jam scitu necessarium est, quonam Modo possit Mercurius Philosophorum ex Metallis Mineralibusque commodissimè extrahi atque ope Auri ex arte ritè fixari in Tincturam ad Corpora humana atque Metallica.

Primò non ignoramus, quod purissima illa Metallorum pars Mercurius Homogeneus ab inimicissimo suo hoste *Sulphure superfluo comburente* Tyrannicè in carcere quodam tenebroso captivus detineatur. Si quis igitur eum vinculis exuere atque eximere voluerit, ille necesse habebit ipsius hostes, à quibus ita incarceratur, mortificare atque annihilare, priusquam claustra ergastuli refringere Mercuriumque captivitate solvere valeat;

leat: qui ☿ insimul etiam naturalem fratrem suum, nempe 🜍 tingens secum inde educit. Quibus ita liberatis nihil deest amplius nisi ut ope Auri vulgaris figantur in Tincturam. Cujuscunque autem desiderio hæc nostra Paraphrasis brevis non satisfacit, ille abeat lecturus vel *Sendivogium*, qui de hujusmodi Liberatione integrum conscripsit Tractatulum, vel etiam *Paracelsum*, qui non minus eximiè quàm explanatè super eadem mentem suam aperuit.

Sequitur jam mea ipsius Experientia, via ac Modus, quo egomet memoratum Captivum compluribus vicibus solvi atque in libertatem vindicavi.

TAmetsi egomet ipse *Mercurium Philosophorum* ex Metallis extraxerim talibus Modis diversis, qualium singulorum cognitionem publicam dabo, semper tamen alios aliis præstare comperi. Ex istiusmodi igitur Processibus, quorum alios ex aliis subjungemus, pro suo sibi quisque placito conducibilissimum quemque excerpat atque tantisper usibus suis adhibeat, dum experiatur, quidnam sibi divinitus concedatur.

Non est unquam ☿ ex Metallis duris extrahendus, priusquam illa fuerint soluta atque reserata. Reserari autem commodius nequeunt nisi Spiritibus Salis Corrosivis. Quod quum omnia Corrosiva sint Mercurio inimicissima, penes illa

non eſt poteſtas faciendi Mercurium vel vivum vel curſivum. Quapropter Corroſiva poſt ſolutionem per Salia contraria, qualia ſunt *Sal Tartari, Spiritus Urinæ, Salis Armoniaci*, &c. mortificari debent. Quo facto Corroſiva à ſuo ingenio immiti in mite degenerant atque ☿ in deſtillatione dimittunt, quod alioquin abſque Corroſivi mortificatione non ita eveniret, prout ex Proceſſibus ſequentibus condiſcas. Quum igitur certo certius ſit, illa eſſe ſolvenda, priuſquam ope Salium reſuſcitantium inde ☿ diſtillare poſſit, exhibebimus primò Proceſſum, quo Mercurius ex talibus Metallis extrahatur, qualia nobis Natura proponit jam ſoluta, videlicet Vitriolum, quod nihil eſt aliud niſi ſolutus per Acidum Univerſale Mars aut Venus vel ♂ & ♀ ſimul. Hinc ſi quis ad operationem ſuam adhibuerit tale Vitriolum, in quali ambo illa Metalla ſummè tincta atque à Natura ſoluta ſubminiſtrantur, non neceſſum erit, ut moleſtis laboribus novum quærat Modum ſolvendi Metalla, ſed tempori ſumptibuſque parcere poterit. Itaque expediet, ut edoceatur, quomodo Mercurius ex quovis vulgari Vitriolo facillimè paretur.

Sequitur Proceſſus.

DEſtilla more ſolito ex communi Vitriolo Spiritum acidum Oleumque igneum igne forti, ut artis eſt. In hoc quippe Spiritu latet ☿, ♂

&

& ♀, qui per mortificationem Corrosivi in apricum profertur visibilisque redditur, prout sequitur.

℞. 1. vel 2. ℔. Tartari in albedinem calcinati, quem pulverisatum in vitream conjicias cucurbitam, cui superimponas alembicum cum Tritoriolo, applicando Receptaculum, cujus commissuras accuratè lutabis pariter atque alembicum. Quam primùm ista cucurbita in arenam calidam fuerit collocata, per Tritoriolum una vice quasi 1. aut 2. lotones acris Spiritus Vitrioli deorsum affunde Tartaro calcinato, unde ipse tanquam Tartari adversarius ira exæstuat vehementi, ac suâ ipsius vi ita effervescit, ut Spiritus subtilis ex ipso adscendat. Finito istiusmodi duello seu fermentatione, denuò aliquot uncias illius Spiritus injicias, quas etiam ad concertandum cum Tartaro committas. Deinceps talem Injectionem tantisper continuabis, dum Acidum illud cum Tartaro non amplius confligere velit; id quod erit argumento, Sal Tartari esse satis mortificatum. Mox subdatur Ignis, humiditatesque omnes per gradus ad adscendendum propellantur ad ignitionē candentem usque. Aqua adscendens seu evocata, quæ sapore fermè Spiritum Urinæ æmulatur, rectificetur, in qua Rectificatione Mercurius Vitrioli adscendens redditur purior atque subtilior. Hæc pura Mercurialis Aqua in se gerit invisibiliter reconditum, vivum Mercurium Metallicum, qui hoc pacto producitur conspicuus.

Con-

Conjunctio Mercurii Philosophici cum Auro.

COmmune ☉ in 🜅 acri solve, solutumque ab indissoluto separa, mox guttatim ex tua subtili 🜄 Mercuriali paulatim per vices affunde solutioni Auri, donec Spiritus Mercurii in solutionem Auri non amplius agat, sed desinat, & omne ☉ ex 🜄 fuerit præcipitatum; in qua præcipitatione ☉ Mercurium Vitrioli ex Mercuriali 🜄 in se ita attrahit, ut ipse in forma limi seu pulveris flaventis petat fundum vasis. Deinceps filtretur præcipitatum per Chartam emporeticam, ut Salina 🜄 pertranseat, tunc remanebit præcipitatus Mercurius cum ☉ permixtus in filtro, qui cum 🜄 dulci edulcorandus probè est; postea exsiccetur, & habebis Mercurium Vitrioli cum ☉ unitum, quæ se unà patiuntur fixari in veram Tincturam ad Corpora hnmana & Metallica, veluti sequitur.

Fixatio Mercurii cum Auro.

NB. Antequam Mercurius cum Auro immittatur ad fixandum, probetur, utrum ritè sit confectus, necne. Enimverò si Mercurialis Aqua fuerit rectè parata, ipsa Auro sat Mercurii potuit elargiri, quo Mercurio Aurum præcipitatum est ita auctum, ut non amplius sit vulgare ☉:

sin

ſin autem Aqua Mercurialis non fuerit legitimè confecta, & proinde Auro non multum Mercurii contribuere potuerit, Aurum manebit paupertinum, & ſimulatque fervorem aliquem perſenſerit, fulminabit ad inſtar alterius cujuſdam Auri fulminantis, atque ita ad fixationem nihil valet prorſus, cum deſtituatur Mercurio tingente, qui totum Corpus Solis in Tincturam convertere debuit. Quapropter poſt præcipitationem Auri & Mercurii poteris granulum præcipitati in crucibulo minuſculo excandefacere, ad examinandum, num ſit idoneum ad figendum. Si enim fulminaverit inſtar auri fulminantis, indicio erit, Aquam Mercurialem non fuiſſe probam atque Auro non ſatis Mercurii conferre potuiſſe. Sin autem, poſteaquam excandefactum fuerit, exierit colore imbutum bellè purpureo, Aurum imbibiſſe creditur ſat Mercurii, poteruntque ſimul figi in unam Tincturam. NB. Cave excandefacias Igne forti. Hac enim via Mercurius eſſet Aurum relicturus intactum atque ab eo planè evaporaturus, uſqueadeò ut nulla inde certa poſſet haberi Proba. In omnibus igitur cautè atque prudenter procedendum eſt. Cæterùm Fixatio Mercurii cum Auro fit ita:

Fixatio Mercurii, Martis & Veneris in unam Tincturam.

℞. Tantum hujus noſtri Auro imprægnati Mercurii, quantum in promptu habueris, etiamſi vel dimidium lotonis eſſet, cùm hîc non magna deſideretur quantitas; injice illum in parvam phialam vitream, quam in calidam collocabis arenam, ita tamen ut Ignem ne des fortiorem, quàm cujus tua avis volatilis fuerit patiens, quem ignem ſi aliquot ſeptimanis continuis in gradu moderato alueris, Mercurius paulatim Igni ſe adſueſcet atque Auro inhæreſcet, illudque in Tincturam convertet. Cæterum ſi quis contra ſerium Philoſophorum omnium interdictum præfeſtinaverit lactando ſpem, ſe tantò citius potiturum fore Tincturâ, Mercurius ipſius avolabit atque Aurum poſt ſe derelinquet pallidum, quippe qui ſuum colorem inter avolandum ſimul aliquatenus ſubtrahit atque ſecum aufert. Ergo inter fixandum Patientiâ opus eſt. Hinc ômnes Philoſophi commonuerunt, non eſſe feſtinandum. Feſtinatio namque proficiſcitur à Diabolo. Suarum igitur quiſque rerum ita ſatagat, ut monitis pareat. NB. Dantur quidem etiamnum aliæ Viæ ſeu Modi fixandi Mercurium cum ☉, ſed deſiperet quicunque neceſſitate nulla flagitante ſimul ac ſemel omnia pedibus porcorum ſubjicere præſumeret. Cuicunque Deus auxiliari amat,

amat, ille jam auxilio ſummo triumphat; cuicunque verò Deus non benè cupiet, illi ne evidentiſſima quidem Methodus præſcripta conducet. A divina namque benedictione ſalus noſtra dependet omnis.

Ratio probandi, An Mercurius ſit legitimè præparatus, & An elargiri poſſit Tincturam Metallorum.

℞. 1. lib. Mercurialis Aquæ ſupra deſcriptæ, illamque mortifica per Acidum Contrarium, puta Oleum Vitrioli aut Spiritum Salis, tunc Mercurius in cinerei pulveris forma ſe præcipitabit ad fundum, quem ſi edulcoraveris & cum Oleo Tartari triveris, vivificabis. Si cui libuerit, ille eundem etiam per Retortam deſtillare atque ita examinare poterit.

Examen ſeu Proba,

Num Mercurius Metallorum ſit tam rectè præparatus, ut ex ipſo cum ☉ poſſit confici Tinctura.

℞. Aliquantillum illius quaſi ad piſæ magnitudinem, quod imponas alicui argenteæ bracteæ, faciaſque illud Mercurii in fumum abire per ignem: quo peracto, ſi ipſe argentum colore bellè purpureo inſigniverit, valebit; ſin minus,

valoris nullius erit. Hic quoque Mercurius cum ☉ in limaturam minutam redacto ad juſtam menſuram ſeu proportionem digeri poterit atque cum eo fixari. Hæc autem Fixatio æque atque ſuperior perquam tardè perficitur & tantam Patientiam requirit, quanta omnem feſtinationem reſpuit. Quicunque autem tantâ laborat avaritiâ, ut exſpectare nequeat, dum fructus matureſcant, melius ille ſibi conſulit, ſi ſuas à tanto Opere manus abſtineat, quàm damnum ſibi accerſat. Ego hunc ☿ aliquoties paravi, & ad figendum impoſui, ſed quum opus meis ipſius oculis contrectare nequiverim, ſed ignem alienæ induſtriæ adminiſtrandum committere neceſſe habuerim, infeliciter ſucceſſit. Quod quum ob ingraveſcentem ætatem corporiſque imbecillitatem ego jam prorſus inhabilis evadam ad opus tanti momenti aggrediendum denuò, nonnullis mihi intimis Methodum hac lege communicavi, ut ipſi elaborarent. Cæterùm quum ipſi tantum Mercurii ex operatione non ſint nacti, quantum deſideraverant, ſupremam ei manum imponere ſuperſederunt. Hinc ego permotus ſum, ut iſtiuſmodi Opus Regium potius typis evulgandum curarem quàm ut mecum contumularetur: quantumvis ægrè ad id conſilii capeſſendum adductus ſim, ut Arcana tanti ponderis revelarem Mundo maligno infidoque. Poſteaquam autem ad rectæ rationis libramentum diu multumque expenderam, quod Deus Opt. Max imitandus citra omnem προσωπολη-

ψίαν

ψίαν lucentem ſolem ſuum ſinat oriri tam ſuper improbos homines, malignas beſtias venenatoſq; vermes ac herbas quàm ſuper pios; id me multò potentius permovit, ut iſtiuſmodi Ardua typis excudenda annuerem, ruminando, quod ſuâ Deus ſapientiſſimus dextrâ ita dirigere cuncta valeat, ut uni contribuatur, alteri adimatur. A divina namque benedictione dependent omnia. Quod ſi vulgus impiorum abuti his ita à me communicatis voluerit, non ſine juſto Dei judicio omne bonum illud, quo indignè fruiſcentur, coacervatum in nequiſſima ipſorum capita flagrabit inſtar carbonum candentium. Quibus animum meum ita tranquillavi; ut jam ſat ſecurus certuſque ſim, Deum pro antiquo Providentiæ ſuæ regimine optime nôſſe, quis benedictione cæleſti vel dignus vel indignus ſit. Quare nihil eſt quòd quiſquam vereatur, Artem raram vulgatum iri cum communibus ac pervagatis. Enimverò fortaſſis ex 1000. Lectoribus vix 10. reperientur, qui tradita rectè intelligent aut fidem lectis habebunt, ne dicam, perpaucos fore, qui periclitandi gratiâ operi elaborando manum impigram admovebunt, potiſſimum, quum Ars iſta hîc ſit Charactere dicendi tam humili procul ulla verborum phaleratorum Venere vulgata. Suum igitur Arti nomen ac omen permanebit ſalvum, etiamſi ipſa vel luce meridianâ clarior fuerit caligantibus ſuperborum oculis ſubjecta.

Modus parandi Mercurium tingentem ex Antimonio.

℞. Antimonii, Salis petræ, Tartari ana ℔. 1. quæ pulverisata, commixta & in crucibulum injecta, pruna pusillà accendes, decrepitabis & in furno fusorio liquefieri curabis & in conum fusorium infundes & posteaquam refrixerit, Regulum à scoriis separabis, scorias pulverisabis & cum Aqua per coctionem solves, unde lixivium rubens acquires. Cui si Sal Armoniacum quasi ad dimidium ponderis tantidem addideris pulverisatum atque conjunctim ex vitrea cucurbita exactè lutata (quæ vix ad medium sit impleta, cum facilè patiatur adscensum) destillaveris, subtilissimus quidam Spiritus volatilis adscendet, in quo Mercurius Antimonii latet, qui in solutione Auri præcipitatur, edulcoratur, exsiccatur atque ita probatur atque fixatur, prout suprà de Mercurio Vitrioli edocuimus. Antimonium multò copiosius elargitur quàm Vitriolum atque conficitur etiam facilius eodem, usqueadeò ut hoc sit illi longè præferendum, idque cumprimis ideò, quod antiqui Philosophi hunc Mercurium Antimonii plerumque ad parandam Tincturam suam adhibuerint. NB. Si quis autem desideraverit Mercurium Vitrioli præstantiorem illo à nobis suprà descripto, ille Lixivium Antimonii loco Salis Tartari adhibeat atque inde Mercurium ope Olei Vi-

Vitrioli proliciat, ut habeat præstabilius quid Lixivio communi.

Modus parandi ex ♂ & ♀ Mercurium tingentem per sola Salia Resuscitativa absque ullis Corrosivis.

INter omnia Salia Resuscitativa principatum tenet Tartarus, à quo proximas deferimus partes Sali Urinæ, quod nihil aliud est quàm talis Tartarus volatilis, qualis in hujusmodi Sal transmutatur ex vino, cerevisia, pane aliisque cibis in corpus humanum assumtis. Ejusdem ferè generis est infumibulorum seu caminorum fuligo veluti Sal volatile lignorum. Conforme quoque Sal Volatile copiosè reperias in sanguine, crinibus, cornibus & ungulis sive unguibus Animalium. Consimiliter Sal Armoniacum est ferme merum Sal Volatile paratum ex sanguine, lotio ac fuligine. Adde quod & in ovorum calycibus seu testis insit efficax Sal Resuscitativum. Hæc atque assimilia Salia sunt prædita virtute convertendi Metalla in Mercurium, quum hæc prius fuerint soluta. Salia quippe Volatilia non sunt tantæ efficaciæ, ut Metalla dissolvere valeant; veruntamen Tartarus tantâ sanè vi pollet, ut nonnulla Metalla solutu facilia, nempe ♂, ♀ atque ♄ possit dissolvere atque inde Mercurium per destillationem elicere, præsertim si quis ipsi suppetias laturus nonnihil Salis culinarum communis, aut (quod

magis conducit) Salis Armoniaci addat ad illum confortandum. Poteſt etiam loco ♂ vel ♀ ſaltem vulgare Vitriolum adhiberi atque inde Mercurius ope Salium volatilium deſtillari.

Sequitur jam Proceſsus.

℞. 6. ℔. Vitrioli, cui in Urina ſoluto addas Salis Armoniaci ℔. 1. Tartari crudi ℔. 2. Salis Tartari ℔. 4. deſtillaque ex forti cucurbita vitrea ſubtilem Aquam Mercurialem, quæ juxta Methodum præſcriptam poteſt Corporalis reddi atque in Tincturam cum Auro figi. Hic Modus procedendi eſt perfacilis pariter atque ſumtuum parciſſimus, uſqueadeò ut illorum deſiderio protinus ſatiſfaciat, qui talibus paucis contenti ſunt qualia cucurbitarum beneficio acquiruntur. Inexplebilioris verò Avaritiæ alumnis hoc conſilio poſſum præſtare officium: Abeant diſtillaturi Mixturam hanc ex veſica cuprea uſque ad tantam quantitatem, quanta ipſis ſufficiat; hac tamen cautione, ut nullum adhibeant Alembicum, neque Refrigeratorium fabrefactum ex ♀, ſed ex ♄, aut (quod magis confert ex ♃, idque) ideò quod noſtra 🜄 Mercurialis facilè ♀ arrodit atque inde vireſcit, id quod in ♄ aut ♃ non accidit. Si quis autem ſumtuum parcus nollet ſibi parare Refrigeratorium ex ♃, ille ſanè ſuis ſibi vaſis cupreis utatur. Licet enim Spiritus arrodat ♀ atque cæruleum trahat colorem, color tamen hic inter Rectificandum remanet in fundo,

&

& Mercurius nihil prorſus jacturæ facit, atque hac ratione major ejus quantitas acquiritur quàm requiritur, niſi quis Lupo famelico voracior ſit. Atqui boni non eſt Philoſophi, inhiare nimietati. Quod ſi quem inceſſerit cupido conficiendi copioſè Mercurialem ▽ ſive aliuſmodi viâ, ſive per aliam quandam ſalium mixturam, illum jam ſatis prolixè per difficiliora quaſi manu duximus ad procedendum. Enimverò Tartarus ſolus ipſi ad talem uſum ſufficiet. Quid quæris? Vel fæx vini combuſta idem præſtare poterit, uſqueadeò ut philoponus Mercurium Metallorum per Salia reſuſcitativa nullo ferè negocio atque impendio adipiſci queat.

Ratio conficiendi ſolo Tartari beneficio Mercurium ex Metallis Mineralibuſque abſque ullis Salibus aliis.

℞. Filorum chalybeorum ℔. 1. Tartari ℔. 2. Aquæ vulgaris ℔. 20. cujus mixturæ in arena calida per Alembicum ſi forti coctione Aquam omnem diſtillaveris, Tartarus inter coquendum ſolvet ♂, Mercuriumque liberatum ita volatiliſabit, ut cum Aqua ipſe tanquam ſubtilis Spiritus adſcendat, qui per Rectificationem concentratus & idoneus effectus, vel per ſolutionem Auri vel alio quopiam Acido Contrario juxta ſuperius tradita Corporalis redditur. Quod ſi quis, quantum habet Tartari, ad illum aſſumſerit di-

midium Salis Armoniaci, Tartarus eò promtius aggredietur Martem, atque etiam multò plus Mercurii egredietur quàm à solo Tartaro. NB. Quum autem hac via in una Destillatione parum Mercurii adscendat, talis Operatio in Vesica majori perfici poterit, hac tamen lege, ut adhibeatur Alembicus atque Refrigeratorium non fabrefactum ex ♀, sed ex ♄ aut ♃. Hic Modus Operandi ex Vesica potissimum erit ex usu talium avarorum, quales nunquam se paucis contentos præstant, sed perpetua Spiritus insaturabilis paupertate laborant, etiamsi omni quarumvis rerum desiderabilium abundantia undique & undique circumfluant. Ille quippe solus est opulentus, qui præsentibus semper est contentus.

Modus parandi Mercurium ex Saturno per solum Tartarum.

℞. 1. aut 2. ℔. segmentorum ex ♄ attenuatorum per scamnum tornatorium, quibus superinfundas 15. aut 20. ℔. acrioris aceti vinarii, eisque admisceas aliquantulum pulverisati Tartari; (Acetum autem per se est impraegnatum Tartaro non pauco) Quem Tartarum si destillando evocaveris: Phlegma in destillatione subtilem Spiritum Mercurialem educet, qui separatur, prout supra edocuimus. Solutio Saturni remanebit in fundo cucurbitæ, atque inde mediante additione Salis Tartari per Retortam etiam Mercurius elici

potest,

poteſt, qui tamen notæ tam bonæ non eſt quàm alter, qui in forma ſubtilis Spiritus adſcenderat.

Modus parandi Mercurium ex Antimonio ſola Tartari ope.

℞. Aliquot libras fortis Lixivii Antimoniati Rubri extracti ex Antimonio cum Tartaro ac Halinitro ritè decrepitato atque liquefacto, quas injicias in vitream cucurbitam arenæ impoſitam, prout jam ſupra inter tractandum de Fixatione Sulphuris perdocuimus: poſtmodum deorſum per Tritoriolum paulatim per vices Lixivio Antimoniato affundas toties Vinum Aceti fortiſſimum, donec utrumque, videlicet Lixivium atque Acetum non amplius in ſeſe agunt; tunc ſi per deſtillationem ſeparaveris omnem humiditatem, adſcendet Spiritus Antimonii Sulphureus in forma ſubtilis Spiritus Sulphur olentis, qui poſt rectificationem vel cum Lunæ vel Auri ſolutione reddetur Corporalis atque tam habilis, ut in Tincturam converti fixam poſſit.

Ratio deſtillandi aliuſmodi viâ Mercurialem Spiritum tingentem ex Metallis.

SUpra jam perſcripſimus, quod ex Metallis duriſſimo clauſtro munitis tingens Sulphur ac Mercurius prius elici nequeat, quàm Metalla fuerint diſſoluta ſeu mortificata, & quod in

istiusmodi mortificatione sit talis Spiritus idoneus associandus, qualis horâ mortificationis intercipiat atque transvehat adscendentem Spiritum seu Animam Metallorum. Inter cætera autem omnia optimus mihi visus est purus Spiritus vini benè dephlegmatus, qui inter educendum saltem secum ducit purissimum Sulphur atque Mercurium Metallorum & crassum Corpus mortuum post se derelinquit in fundo, usqueadeò ut talis Mercurius, qualem destillando per Spiritum Vini prolicueris, fuerit multò purior atque virtute amplior in tingendo quàm ille alter, quem destillando per solam Aquam communem evocaveris, idque cumprimis ideò quod hic ipse qui per Spiritum Vini fuerit prolicitus, per Rectificationem ex puriori reddi potest purissimus, id quod ibi præstitu erit impossibile, ubi Mercurius Metallorum Sulphureus ope Aquæ vulgaris adscenderit, quandoquidem tunc Aqua duntaxat sola in Rectificatione egressa est, atqui ☿ in forma pulveris rubentis remansit in fundo: Ille autem alter qui cum memorato Spiritu sublimatus & præterea per Rectificationem est in altiorem gradum subtilisatus, & in sua vi tingente melioratus, ille non tantum in Medicina, verum etiam in melioratione Metallorum pariter atque gemmarum pretiosarum lapidumque ignobiliorum, ad ea constanter tingenda centuplo plus conducere efficaciter potest quàm prior ille qui destillando per solam Aquam est evocatus atque nullatenus per Recti-

Rectificationem in ſuam virtutem exaltari aut multiplicari potuit æque atque iſte, quem per Spiritum Vini eduxeris, utpote cui vis adeò ſubtilis atque penetrativa conciliari valeat, ut ei detur talis in vitra ingreſſus, quali ea colore conſtantius flavente aut rubente tingantur quàm ut ille vel ullis Corroſivis Aquis vel ulla vi Ignis inde deleri poſſit, præſertim ſi ille ex idoneis Subjectis tingentibus, puta ex Vitriolo Martis & ♀, aut ex Antimonio fuerit deſtillatus. De quibus impræſentiarum ſat dictum eſſe arbitror. Si quis igitur eſt avidus ſciendi plura de hac Hypotheſi, illum ad combibendam uberiorem de eadem Informationem remiſſum volo ad Partem Septimam noſtræ Pharmacopœiæ Spagyricæ, ubi inveniet, quæ prolixè edocuimus de Extractione Tincturarum ex Rubris Coraliis conſimilibuſque Subjectis tingentibus.

Ratio conficiendi probum Mercurium ex Saturno & Luna.

℞. ♄ aut ☽ ℔. 1, quam in ▽ ſolutam præcipitabis, cum forti Salis Aqua calcem edulcorabis, exſiccabis atque his quartam noſtri in albedinem fixati Sulphuris partem admiſcebis, deſtillando ex vitrea Retorta loricata igne forti Mercurium, qui tamen non erit vivus, ſed in forma cujuſdam Sublimati adhæreſcet collo Retortæ, eritque pondere gravis & guſtui linguæ perquam

acris; non quidem tanta cum copia, quanta plerisque desiderabitur, sed qui tamen maximo erit dignus pretio æstimandus. In frigente quippe cella facilè solvitur ac in fortem Aquam Mercurialem liquatur, quæ Mercurialis ▽ Metalla solvit omnia. Hæc ex Saturno acquisita amore incredibili se conjungit cum anima Martis, atque se cum ea in Tincturam figi patitur. Ista ex Luna promtè Aurum solvit atque cum ea in Tincturam abit. Ratio autem, cur ego in destillatione Sulphur fixum intermisceam Saturno aut Lunæ, est hæc: Quum hæc ambo Subjecta, modo tacto præcipitata cum Salis Aqua, sint admodum fusibilia atque penetrantia, facilè in unum colliquescunt, & in Destillatione nullum Mercurium elargiuntur. Neque etiam arena aut terra inhibere fluxum ejus potest. Quare ego nihil reperi conducibilius nostro fixo Sulphure albo.

Hem tibi jam Modum parandi Mercurium ex Jove.

JUpiter de se Mercurium dat præcellentissimum in forma Spiritus subtilis, qui præ cæteris Mercuriis omnibus omnium enixissimè ab Auro diligitur atque trahitur. Ipse enim, si quis saltem aliquantulum ejus in aliquam Auri solutionem infuderit, intra momentum Aurum omne ex acri ▽̶ ad se alliciet atque una ad fundum præcipitabuntur instar pulveris purpurei. Quæ sanè

est

est præcipitatio omnium optima Auri hujus, quod cum 🜄 ex arena lapidibusque extrahas ad præcipitandum, usqueadeò ut 🜄 etiamnum valeat atque conducat ad extrahendum rursus Aurum ex lapidibus, prout uberius legas relegasque in Parte Septima Prosperitatis Germaniæ, ubi de hoc Extractionis genere explanatè perscripsimus. Cæteroquin ex omnibus etiam Metallis adminiculo mei Secreti Salis Armoniaci (quod à Paracelso atque Helmontio nuncupatur *Liquor Alkahest*) parari opipara 🜄 Mercurialis, de qua in Parte Septima Pharmacopœiæ meæ Spagyricæ fusè tractavi, ubi qui tanta Dei dona ritè amat, oculos desiderii sui scitè pascat.

Ecce tibi etiamnum alium Modum, quo citra ullos prorsus sumptus aut pecuniæ expensas facilè tantam Mercurii Philosophici copiam apparabis, quantam affectabis.

Quod ego hujusmodi Processum olidum huc adscribam, non ideò fieri credas, quasi eundem præ cæteris exsequaris velim, sed ut gregarium simpliciorum hominum vulgus conspiciant, se posse æque per viam paupertatis suæ depressam ad acquisitionem talis arduæ Medicinæ Universalis pervenire atque cæteros opulentos majorum gentium Deos per suas opulentiæ fortunas, usqueadeò ut eorum nemini justa causa querendi relinquatur, quasi à Deo non æque ipsis in statu ipso-

ipsorum paupertino benediceretur atque divitibus opulentiâ florentibus. Alioquin hinc suboriretur procul dubio talis opinio, quasi Deus opulentissimos quosque majore prosequeretur amore quàm pauperes, cum illi per suas divitias ad permulta desiderabilia pervenire possint, ad quæ pauperioribus re quavis necessariâ destitutis aditus intercluditur. Quæ tamen haudquaquam sunt adeò sinistrè accipienda. Enimverò Deus Opt.Max. utique amat non magis divitem quàm pauperem, dummodò pietatem colat. Equidem non eo inficias, paupertatem plerisque notabili esse obstaculo, quominus in Mundo emergere valeant, sed cum insignibus animorum suorum dotibus crebro crebrius pedibus filiorum Nabalis opulenti subjacere necesse habeant, prout Experientia quotidiana plus satis attestatur: Atqui ad participandum hoc Philosophicum Opus Universale patet janua adeundi liberè non minus pauperrimo cuique quàm ditissimo cum Deus non plus huic quàm illi à Natura contributum voluerit: veruntamen Habitu Intelligentiæ longè alii aliis distant ac præstant. Facultate namque intelligendi est alter alteri insigniter dissimilis, prout illâ homines magis aut minus à Deo donati, vel bonæ disciplinæ ope à parentibus ad eam educati atque informati sunt. Memoriæ proditum est, quod Regi Calid, qui in eremo Eremitam illum grandævum *Morienum* perquisitum atque ad se inde adductum percontatus erat, *In quonam En-*

tium

tium eßet Materia Lapidis quærenda? reſpondebatur: *In Temet ipſo, ô Rex, ſita eſt Medicina*; innuendo in *Superflua Naturæ*, videlicet *Urinam* atque *Stercus Humanum*. Quinetiam ait idem venerabilis Senex in quadam Deſcriptione, *inter parandum iſtam Medicinam* eſſe ſufferendum *fœtorem maximum* ſimiliter cadaveri graveolenti in ſepulchro.

Philoſophi quoque affirmant, quod *Adamus* hominum primus ſecum *Lapidem Philoſophorum* attulerit *ex Paradiſo*, cum ille tamen inde nudus atque inops ſit ejectus; digitum quaſi intendendo in tacta *Superflua Naturæ*.

Quicunque igitur duntaxat aliquantillâ Chymiæ peritiâ tinctus eſt, perbenè novit, quod omne Sulphur atque Mercurius non niſi una unicaque naſcantur origine, & quod Sulphur illud in herbis item ut hoc in Animalibus non minoris ſit virtutis quam alterum in Metallis, excepta Fixitate. Quemadmodum enim hoc in Metallis deprehenditur magis fixum quàm illud in Mineralibus, & hoc Minerale eſt magis fixum quàm alterum Animale ac Vegetabile. Ita etiam habeto de Mercurio. Ut autem longius latiuſque ne evagemur, ſed ad inſtituti noſtri fines redeamus atque enucleate præſcribamus *Modum parandi Medicinam Univerſalem ex Urina atque Stercore Humano*, ego Proceſſum paucis evulgabo verbis ſubſequentibus.

℞. Bo-

℞. Bonam partem ſtercoris atque urinæ humanæ collectam in vas quoddam capaciſſimum, & (poſteaquam in eo ſimul ſteterint per ſeptimanas circiter quatuor, donec ſe Sal cum Sulphure & Mercurio per putrefactionem fermentationemque exactè univerit) mediante deſtillatione Spiritum Mercurialem Sulphureum in Balneo per Alembicum elice, qui quidem inſigniter ſubtilis erit & graviter olebit, ſed poſt Rectificationem, prout ſupra docuimus, cum ſolutione Auri poterit conjungi & per ignem moderatum paulatim in Medicinam univerſalem ad Corpora humana atque metallica fixari. NB. Fœtor memoratus diſperibit, ſimul atque 🜄 acceſſerit. Quapropter Philoſophi illi, qui unquam in Materiis graveolentibus elaborarunt, ſemper condocuerunt de ſuffocando *in Aquis Stygiis* venenato ſuo *Dracone* graveolente. Inter omnes autem Philoſophos, quos mihi legere contigit, neminem animadverti perſcripſiſſe de hac Hypotheſi excellentius perdoctiſſimo experientiſſimoque illo Philoſopho *Neuſementio* in puſillo quodam Tractatu ſub *Titulo* de *Sale & Spiritu Mundi*, ubi *Tabulam Hermetis* ita explicat, ut lectu digniſſimus cenſeatur, utpote qui omnia deſiderata adeò prolixè atque effuſè omni ſtudio ſolertiaque exaravit atque explanavit, quæ *Hermes* laudatus verbis pauciſſimis in ſua *Tabula Smaragdina* poſteritati reliquit.

CO-

COROLLARIUM.

QUanquam ego in hoc Tractatulo tam fusè atque dilucidè de parando Mercurio Philosophorum egi, ut fastidiosum pariter atque supervacaneum foret, uberiore Paraphrasi Lectorem prægravare, utpote quem ne ullos quidem Modos operationum manualium celaverim, sed omnia cognitu necessaria ita enucleaverim, ut ille (qui vel solam Methodi præscriptæ literam nudam sectans, nesciret opus suum sibi à se destinatum elaborare) sit potius accensendus ingeniis Bœoticis quàm operariis Chymicis: veruntamen quum cæteris Avaritiæ inexsaturabilis alumnis secundum Descriptionem meam Mercurius nimis parcè forsitan proveniat, ego in eorum gratiam etiamnum Methodum aliam monstrabo, quâ ipsi largiorem boni Mercurii tingentis quantitatem consequi poterunt quàm ex Metallis. Cumprimis autem requiritur, ut quicunque in hoc laborandi genere se exerciturus sit, se præbeat operarium alacrem nulliusque fastidii fugitantem, talem autem fucum desidiosum non item, qualis omnem cogitationum suarum solertiam nolit ad opus strenuè conferre, sed illud saltem ociosè per ludum atque negligentiam obire. Avari igitur (ut jam stem promisso atque quadantenus satisfaciam ipsis, quanquam indignis, utpote quorum inexplebilis aviditas neque paucis neque multis con-

contenta esse didicit) rescifcant, quod Mercurius vulgaris duce Arte perfacilè ita apparari possit, ut tantundem conducat ad tingendum, quantum *Mercurius Metallorum.* Quæ tamen ipsi Tinctura antea per Metalla tingentia, qualia sunt ♂, ♀ atque *Antimonium*, conciliari debent, quippe qui ex sua ipsius natura congenita nullam prorsus in se Tincturam habet, sed illam ex Metallis aliis, quibus eandem Deus atque Natura cooperandò indiderunt, commodatò accipere tenetur, priusquam polleat vi atque facultate tingendi. Quanam autem ratione Tinctura istiusmodi ex diversis Subjectis Metallicis Mineralibusque commodato accipiatur pariter atque acquiratur ex quibusdam lapidibus natura tinctis, à me in variis Scriptorum meorum locis tam crebrò inculcatum est, ut haud necessarium duxerim, jam istiusmodi Hypòthesi diutius immorari. Cæterùm ex abundanti etiamnum à me promulgabitur Modus præparandi taliter Mercurium vulgarem, ut Tincturas ex Metallis, Mineralibus atque Lapidibus extrahere possit.

℞. Mercurii communis ℔. 1. quem simul atque in ▽ solveris, mortifica ▽ per affusionem Spiritus Urinæ, & quum per Retortam in arena calida omnem aquam inutilem inde abstraxeris, atque ignem fortiorem dederis, in collum Retortæ se sublimabit Mercurius, colore albens, sed nullam prorsus singularem in lingua acrimoniam prodens, atque isthoc Sublimati genus ope cujus-

vis Aquæ communis facilè ſolvitur. Pollet autem hæc Aquæ Mercurialis vi extrahendi Tincturas ex Metallis, Mineralibus, gemmis aliiſque lapidibus ignobilioribus: quâ in re vel ipſa *Plutonis* conjux *Proſerpina* vix præſtabilius quid elaborabit. Quum igitur hic Mercurius rubro Leoni tantum ſanguinis extraxerit, ut ille non amplius albeat, ſed inde ex toto rubefiat, tunc ipſe quidem eſt unius gradus altioris meliorationem adeptus, ſed nondum ulla in tingendo miracula patrare valet. Ut ipſe igitur ad talem perfectionem exaltetur, quali efficiatur eximii quicquam in Transmutatione, hic Mercurius rubens viciſſim revivificandus eſt, atque denuò, prout ſupra attigimus, mortificandus; idque ſi ad 7, 9 aut 12. vices uſque iteraveris, eum ſat Tincturæ imbibiſſe credas; nihilque præterea requiretur niſi ut abeas fixaturus hunc Mercurium tingentem in fuſilem Lapidem rubentem, qui deinceps idem, imò fortè plus præſtabit in Tranſmutatione Metallorum quàm Mercurius Metallorum ipſe.

Quanquam igitur hîc ego *Meliorationem communis Mercurii* revelavi, planè tamen perſuaſum habeo, quod non facilè ſe quiſquam uſpiam ad Opus elaborandum accincturus, neu periculum ejus experiendi facturus ſit. Enimverò plærumque Bonum omne in nullo eſt pretio, ſi ſplendore deſtituitur externo. Quippe ego abhinc aliquot annis, nonnullis mihi amiciſſimis inſigniter commendavi Exaltationem vulgaris Mercurii, quæ

tamen ipsis non fuit tantæ curæ, ut manum operi unquam admoverint. Quare nihil est quod quisquam metuat, Artem nimio vulgarius prostitui, etiamsi ego eandem vel radio solari descriptam publicâssem. Ego quidem plura de ejusmodi Mercurio sublimato, qui cum Aqua communi potest solvi, evulgare voluissem, nimirum quomodo præter Transmutationem Metallorum possint illius ope etiamnum multa alia eximia præstari, sed brevitati jam velificaturus, nolo inde mihi hîc ullam injici remoram, sed de eo (annuente Deo) propediem alibi agetur. Interea loci amicus Lector æqui bonique consulat, quod his eum paucis certiorem reddidi, Mercurium communem ita exaltari posse, ut Mercurio Metallorum æquipolleat, cui assertioni omnis Philoponus tutò confidat atque sibi persuadeat, me de eo non nisi ex meo ipsius experimento frequenti attestari.

De

SALE PHILOSOPHORUM,

Quomodo & Unde illud paretur ac quem usum præstet in Medicina atque Chymia.

MAjores illi nostri venerandi, Philosophi prisci multa quidem copiosè de Parte hac Tertia ex Principiis Metallorum, puta de *Sale* conscripserunt, adeò tamen obscurè, ut ferè plerisque fuerit impossibile addiscere inde quicquam emolumenti fundamentalis, ne dicam, perpaucis contigisse parare *Sal Philosophorum*, sexcentis autem è contrario, accelerare sibi ruinam fortunarum omnium. Posteaquam igitur ego quoque continuam aliquot annorum vertentium operam pariter atque sumptus ingentes impendissem ad acquirendum mihi præter altera illa ambo Principia, videlicet *Sulphur* atque *Mercurium*, quæ mihi jam abhinc biennio innotescere cœperant, tandem aliquando etiam hoc famigeratissimum Sal, mihi ad postremum Deus Opt. Max. illud quoque revelavit. Hinc facere non potui, quin nonnihil de Eo posteris ad Deum illum meum glorificandum atque divulganda ipsius Magnalia relinquerem nullus dubitans, hanc meam Revelationem hodierno Mundo occæcato fore Lumini magno. Eo quippe talia Incredibilia patrari possunt, de qualibus ego sum tot in lucem emis-

ſurus, quot mihi impræſentiarum conſcio ſuccurrent. Atqui præſagit mihi animus, quod ex 100. Lectoribus vix unus lectis fidem adhibebit, quod ejuſcemodi inaudita poſſint Arte duce ac luce apparari. Mea autem nihil refert, quid Turba Magna Ignorantium, malignantium atque bonas Artes aſpernantium adverſus hæc evulgata deblateraverit; quin etiam ego nullius laborabo, ſi plerique eorum ad cacoëthes ſuum priſtinum etiam hæc mea noviſſima, perinde ut alia antehac à me palam communicata, pro Mendaciis prodigioſis traduxerint. Mihi namque ſufficit, quod ego Artis certitudine fretus illud effectum dare poſſum, uſque adeò ut immortales immortali Deo gratias habeam pro tantis ipſius donis, quæ ex mera gratia mihi concedere indigno dignatus eſt. Cuilibet etiam pro certo, rato ac tuto affirmare poſſum, non eſſe ulla, quæcunque hîc præſcribo, vana ingenii humani ſomnia, neu compilatos ex alienis libris centones, ſed vera ac ſolida Experimenta, quæ egomet his meis ipſius manibus operatricibus adinveni. Nullus quidem diffiteor, quod ego illi, qui mihi ante tempora non ita multa de tantis Arcanis quicquam enarrâſſet, nullam prorſus fidem habuiſſem, ſed potius cogitâſſem, ipſum verba cædere de Paradoxis atque Impoſſibilibus; quanquam non tantum legeram Philoſophos ſcribentes: *Qui habet Sal Metallorum, habet Lapidem Philoſophorum*, verum etiam probè conſciveram, quod *Salia Metallorum*, prout

illa

illa hactenus à Pseudo-Chymicis procul ullo fundamento solido sunt passim per crimen falsi venditata, ne nomen quidem Salium mereantur, sed nihil aliud sint quàm talia Vitriola, qualia per Spiritus Salium acres ex Metallis sunt parata, & nihil omninò faciunt ad ullam Metallorum viliorum meliorationem. Contrà certò compertum habemus, quod nostra veriora ita emendent Metalla imperfecta omnia, ut inde opulenter capiatur fructus lucrosus, quemadmodum ex sequentibus perspicuè patebit. Antequam verò nos quicquam scripturi sumus de *Usu* hujus *Salis Regii*, operæ pretium erit, ut nonnihil quidem brevissimi, verissimi tamen de illius præparatione præmittamus.

De PRÆPARATIONE SALIS PHILOSOPHORUM.

UT igitur procul ullis vagis ambagibus describam *Modum præparandi* hoc incomparabile *Sal* Regium, ex rei veritate præcognoscendum est, hoc *Sal* nihil aliud esse, quàm vulgare quidem, ritè tamen præparatum *Oleum Vitrioli dulce in Sal per Sulphur album fusibile coagulatum*, quod linguæ gustantis ne minimum quidem saporis salsi imprimit, sed poterit potius videri esse

Lapis quàm Sal, tametsi sit fusibile instar alterius cujusdam Salis liquidi. Quomodo autem Oleum illud Vitrioli sive Acidum Universale in talem mirificum Lapidem minimè corrosivum transmutetur, meum non est evulgare. Sufficit, me ex professo asseverare, quod possit fieri. Quicunque autem plura de eo cognoscere affectat, Deum suum imploret Philosophosque perlegat, ut juvetur, si dignus ope cœlesti fuerit; sin minus, ego ipsi succurrere nullus potero. Quemadmodum enim egomet non nisi orando & quæritando illud acquisivi; ita & alius quisque agere perseveret, quippe quorum nemo à me amplius quid impetrabit quàm quod ego hìc jam publicæ Institutionis gratià liberaliter exprompsi. Sequitur jam

Virtus atque Efficacia incredibilis, quam hoc Sal mirificum *exserit in præparatione Tincturarum ad exaltanda omnia Metalla atque Mineralia in perfectionem Auri.*

QUamvis antè sit dictum, quod *Sal* sive *Lapis Philosophorum* duntaxat ex Vitriolo Acido paretur, necessarium tamen duxerim, etiamnum hoc publicare, quod *Oleum Vitrioli* modis diversis, prout unus aut alter eo aliter atque aliter uti amat, parari valeat. Enimverò Oleum Vitrioli commune atque vulgo notum se ope Sulphuris facilè in Lapidem dulcem transmutari patitur, quandoquidem Sulphur solum pollet vi edul-

edulcorandi omnia Corroſiva eaque coagulandi in talem *Lapidem* ſeu *Sal*, qualis beneficio Admiranda patrari poſſunt in Medicina atque Chymia. Philoſophi quidem nobis aſſeverarunt perſuadendo, quod ex Vitriolo *Oleum ſanguinei coloris* poſſit Artis ſubſidio evocari, quo Metalla albentia tingantur in rubentia, ſed *Modum* illius *parandi* non deſcripſerunt. Eſt quidem illud à Chymicæ Artis cultoribus enixiſſime perquiſitum, ſed hactenus à perpaucis inventum, & proinde ferè ab unoquoque gratis indagantium (etiamſi de eo memorati Philoſophi ſtylo ac filo abundè perſpicuo præclarè conſcripſerint) eſt pro impoſſibili adinventu putatum. Baſilius hoc noſtrum ſanguineo colore imbutum Oleum Vitrioli nuncupat cum Paracelſo *Sanguinem Viridis Leonis*, Braceſcus verò *Lignum* ſeu *Arborem vitæ*, Virgilius denique *Ramum ex Arbore opaca ope Proſerpinæ avulſum*. Quinctiam Ovidius diverſis vocibus aliis in Deſcriptione hujus Tincturæ abutitur. Hoc rubens Oleum ſe æque atque commune coagulari patitur in Lapidem minime corroſivum, ſed ex toto rubentem, ubi alter ſaltem albet, uſqueadeò ut neceſſe habuerimus ex profeſſo condocere differentiam inter utrumque noſcendam. Enimverò ex horum utroque quod præſtare poteſt albus, nequit præſtare rubeus; & quod dare effectum poteſt rubeus, albo eſt præſtitu impoſſibile. Ruber namque ille alba Corpora Metallica tingit in Aurum, & Cryſtallos albentes ita tingit

pro cujusque libitu in gemmas omnigenorum colorum, ut nativis elegantia omninò assimiles evadant. Albus autem non quidem tingit, quippe qui Tincturâ caret, quæ tamen ipsi contribui potest; sed ipse Tincturas fixas ex omnibus lapillis pretiosis pariter atque ignobilioribus extrahit, illisque ita tingitur, ut deinceps alba Metalla in Aurum tingere atque Crystallos albentes in bellos lapides omni colorum genere insignitos tingere valeat idque tanta virtutis Venere, quantâ ipsius frater uterinus rubens triumphat. In summa, nostrum *Sal Metallorum* seu *Lapis Philosophorum* solus quidem per se est tantus particularis per totum Chymiæ Regnum dominator, ut emendando transmutet omnia Metalla imperfectiora in Aurum atque lapides vulgares in pretiosos: ipsi tamen ad *Mercurium vulgi* denegatur ingressus; contra verò id abundè præstabit *Mercurius Metallorum fixatus*, de quo est actum antea. Quod autem hunc Mercurium concernit, quem Metalla illa imperfecta, nempe ♄, ♃, ♀, ♂ in se continent, illi Lapis noster tingendo adeò par est, ut ad id muneris nulla ope indigeat aliena. Manet igitur certo certius, quod in Laboratorio Chymico *Sal Metallorum* teneat principatum. Unum etiamnum benevolæ Informationis gratiâ expromere placet, nempe hoc: Si quis Lapillis fixâ Tincturâ naturaliter præditis, puta *Granatis*, *Rubinis*, *Sapphiris*, *lapidibus Lazuli* aliisque vulgaribus Tincturam seu Animam tingentem eximere

volue-

voluerit atq; insimul illis particulam Argenti excocti seu puri addiderit, nostrum Sal Magneticum ex Lapide Tincturam extrahet ac eó ipso temporis momento, quo extrahit, illam Argento addito incorporabit atque eo illud in Aurum tinget, usqueadeò ut afficiaris admiratione, quod in uno eodemque Subjecto insit simul vis attractiva atque expulsiva. Hinc forsitan antiquissimus ille Philosophus Pythagoras suam hausit opinionem, quippe qui talem Μετεμψύχωσιν credidit atque docuit, quod Anima, simul atque ex mortali hominis corpore emigraverit, eo ipso temporis articulo in aliud quoddam sibi vicinum subjectum immigret inibique inhabitet. Talem quidem Processum animadvertent elaborantes in Metallis Lapidibusque, sed cum Anima ex hominis corpore exhalata aliter comparatum est. Hîc enim non desiderantur Corpora, sed Spiritus, qui Animas hominum emorientium emortuali horâ suscipiant & in loca ipsis ex Dei nutu destinata transvehant. Enimverò prout homo vel bene vel malè vixerit, ita ipsi Spiritus circiter ultimam vitæ lineam præstolabuntur, usqueadeò ut piorum animæ suscipiantur à Spiritibus Lucis, impiorum verò intercipiantur à Spiritibus infernalium tenebrarum. In mortificatione Metallorum atque Mineralium Philosophis quoque non desunt peculiares Spiritus, qui animas Metallorum evolantes accipiant atque transportent. De qua Transportatione Animarum nos jam supra, ubi de Metallis figendis

egimus, aliquatenus mentionem fecimus. Quinetiam à priscis Philosophis hæc Traductio magni pendebatur, nominatim autem à Neusementio: *Hac potentiâ* scilicet *per Spiritum & Sal Mundi ducimus animas mortuorum ex Orco.* Quicunque igitur in hoc operandi genere fuerit insigniter exercitatus, ille *Admiranda* in Regno Metallorum Chymico patrare poterit. Si enim Metallo alicui soluto Spiritum & Sal Mundi addideris & per Retortam destillaveris, secum transducent duntaxat partem Metalli purissimam veluti Animam ipsius tingentem & post se relinquent apud Plutonem in inferno nil nisi Corpus mortuum, crassum atque inutile. Quicunque igitur transductum illum Spiritum Metallorum tingentem ex Spiritu Mundi rectè separare poterit, protinus Tincturâ fixâ gaudebit; quippe quoniam fortis ille Spiritus transvehens insimul Animam Metallorum volatilem figit atque in Igne constantem reddit, etiamsi vel volatilissimum fuerit illud Subjectum, unde Tinctura per Sal Mundi fuerit destillata, usqueadeò ut vel mediante una Destillatione ex vulgari *Sulphure*, *Auripigmento*, *Sulphure Cinnabarino*, *Arsenico* consimilibusque veram eamque in omni Igne constantem Tincturam tam ad Corpora humana & Metallica quàm ad gemmas adipisci queas. Tanta virtus præpotens est recondita in illis abjectis & à Turba Superborum magna rejectis *Spiritu & Sale Mundi*. Modum autem legitimè istiusmodi margaritas adhibendi ad

ad Transductionem Metallorum non ab re Philosophi laudati Sigillo Harpocratis secreto taliter obsignârunt, ut pretiosissimus unio pedibus porcorum sordidatorum subjici nequeat. De consimili compendio figendi volatilia Metalla ac Mineralia nos (Deo volente) deinceps uberius edocebimus. Posteaquam itaque jam intelleximus, quidnam generaliter Sal nostrum Philosophorum in Transmutatione Metallorum præstare possit, non inconveniens fore duxerim, ut edisseram, quantis utilitatis insignis viribus facultatibusque illud insuper polleat etiamnum extra Transmutationem Metallorum. Sub hæc sciendum est, quod nostrum Sal Philosophorum compluribus quoque aliis gaudeat nominibus, quæ ipsi non sine rationibus prægnantibus Philosophi prisci indiderunt. Prout enim varia Admiranda, quæ illius ope patrari possunt, conspexerunt; Ita & nomina eidem affinxerunt, dum illud nuncupârunt modò *Saponem Sapientum*, modò *Herculem*, seu *Clavem Herculeam*, modò *Clavem Philosophorum, &c.* idque propter ingentem ipsius potentiam atque virtutem, cur illud se vel uno vel aliis talium nominum reddiderit dignum. Eccur enim illud vocârunt *Saponem Sapientum?* Quia Corporibus Metallicis, quæ eo lavantur, conciliatur albor purissimus. Equidem Lotrices suum sibi habent Smegma ex Oleo lixivioque confectum, quo vestimenta sordentia ad albedinem usque perluunt. Pelliones quoque peculiare quoddam sapo-

ſaponis genus adhibent ad eluendam ex pellibus ſordidatis ſpurcitiem immunditiemque omnem. Quinetiam ſua fullonibus non deeſt terra albens, quâ pannos inquinatos purificare callent. Neque ſuas etiam Pharmacopœi herbas ad Medicamenta prius admiſcent, quam eas Aquâ mundâ eluerint. Chymicorum quoque vulgus Metalla impura per Corroſiva dulcificata tantiſper lavant dum in ☽ & ☉ abeant. Philoſophi autem experientiſſimi ita Aurum lavant, ut in Tincturam degeneret. Hinc illud Smegmatis genus, quod ad ſuam ipſi Lotionem adhibuerunt, *Saponem Sapientum* dixerunt.

Sed objiciat quis ajens: *Me mecum diſſidere ipſum, utpote qui paulo ante dixerim, Aurum & Argentum eſſe Homogenea & nihil prorſus Heterogenei participare.* Cui reſpondens fateor, me taliter quidem dixiſſe, ſed ſubintelligi tamen voluiſſe, *per Aquas illas communes atque notorias*, quibus alioquin in genere Chymici ſua Metalla tractant, ſolvunt, unum ab altero ſeparant ac lavant. Quia in Aurum & Argentum mutatio non cadit, ſed in una eademque ſemper manent eſſentia, prout à natura progignuntur, idque ideò quod 🜆, 🜅, *Spiritus Vitrioli* aliæve *Aquæ Corroſivæ* non ſint Claves veræ pollentes vi penetrandi ſe in cor Auri aut aperiendi firmiſſimum Regis conclave. Quippe quamvis illa quamplurimum Metalla arrodant ac ſolvant, in ſua tamen quodque Metallum manet eſſentia procul ulla ſeparatione partium. E contra-

rio noſtrum *Menſtruum dulce* eſt *Clavis* longe conducibilior ſeu melior Spiritibus Corroſivis, atque proinde non immeritò eſt à Philoſophis *Clavis Philoſophorum*, appellatum. Nullum quippe Clauſtrum eſt adeò præcluſum quin ab eo recludi queat. Clavis noſtra Regia ſeu Capitalis eſt Spiritus Corporalis ſive Spirituale Corpus, quod citra læſionem ſui ullam pertranſit non tantum Metalla, verumetiam duriſſimas quaſque gemmas, atque inde Tincturam eorum fixam extrahit, & corpora poſt ſe derelinquit albentia; quod captum meum exceſſit, ſimul atque prima vice oculis meis ſubjectum erat. Quemadmodum igitur hic Spiritus pollet vi extrahendi Tincturas vel ex duriſſimis quibuſque lapidibus adamantinis: Ita ipſe etiam Tincturas in lapides duriſſimos introducere valet, idque propter potentiam ipſius penetrativam. Clavis noſtra cardinalis eſt ille *Hercules*, qui immani Hydræ, ſeptem ipſius capita, amputavit. Per hujuſmodi Herculeam fortitudinem etiam *Perſeus* venuſtæ *Danaes* filius cetum fortem inſatiabilem ſeu Belluam marinam ſuffocavit, *Andromadenque* formoſam liberavit, quæ ipſi nupſit; quinetiam robuſtas *Gorgones*, quæ arbores aureorum malorum feraces cuſtodiverant, interfecit. Quicumque plura de his cognoſcere amat, Ovidium pro informatione ſui accuratè legat, in cujus Metamorphoſi noſtram Clavem Philoſophorum artificioſe deſcriptam inveniet: Quanquam ab illis ſolis intelligetur, quibus Ars noſtra jam antè innoteſcit;
alio-

alioquin impoſſibile erit ex fabulis ſufficientem ejus cognitionem haurire. Dei ſolius eſt Lumen intelligendi abſtruſa dare, iiſque nominatim qui ipſum timent, diligunt ac colunt; quorum ferè plures inter pios Ethnicos repereris quam inter hodiernos calumniantes Pſeudochriſtianos malignos. Hanc Ovidii fabulam ego ante hac nonnullis meorum Intimorum explicavi & prætcrea coram eis oſtendi imprægnationem *Danaës* per aureum *Jovis* imbrem, cui tamen Demonſtrationi fidem ipſi non habuerunt, cum ipſis res nimio vilior ſit viſa. Quid quæris? Vitream plani fundi cucurbitam acuminatam cuidam menſæ impoſui, formoſamque Regis *Acriſii* filiam *Danaën* ſupernè per anguſtum foramen in vitrum ſeu turrim infudi; deinceps conſilio & auxilio *Jovis* formavi imbrem aureum, quem per impluvium tecti, hoc eſt, per anguſtum cucurbitæ foramen deorſum inſtillavi in gremium memoratæ *Danaës*, quem illa ſponte excipiebat, deperibat atque inde imprænabatur, & mox pariebat filium ſuum *Perſea*, qui poſtmodum equo illo alato *Pegaſo* ſubvectus, eveſtigiò *Andromadæ* venuſtæ ſubveniebat eandemque ex faucibus Monſtri marini ereptam ſibi conjugem ducebat. Poſtea invictas *Gorgones* fortes trucidabat auriferoſque hortos expugnabat. Si quis in hanc Fabulam oculo intelligentiæ dextro probè inſpexerit, comperiet quod Ovidius noſtrum *Herculem* ſeu *Clavem Clavium Philoſophorum* tam dilucide ac perſpicuè deſcripſit, ut quilibet

bet

bet cognitionem Operis noſtri habens inter legendum obſtupeſcere neceſſe habeat, quod Ars tota ſit videntibus tam evidenter detecta & quaſi oculis ſubjecta. Quod autem à tam paucis videatur atque intelligatur, ipſi ſuo interno oculo vitiato à tenebris peccatorum adſcribant, quibus deditâ opera ipſi ſe involverunt atque in illis permanere geſtiunt, quorum ergò Deus pro ſua Juſtitia meritò talia Diabolica Avaritiæ atque ſuperbiæ mancipia in caligine perpetua hærere, palpare & in caſſum viam ex illis emergendi quæritare permittit. Hic quippe Durum emollitur, Molle induratur, Fixum volatiliſatur, Volatile fixatur, Amarum Corroſivum dulcificatur, Dulce autem convertitur in Clavem Clauſtra recludentem omnia. Plura de tanto Myſterio hac vice revelare non eſt meum. Cuicunque autem Deus hanc Principalem Clavem Univerſalem conceſſerit, ille ex animi ſui ſententia pervenire poterit, quocunque voluerit, neque ipſi quicquam reſiſtere poterit, pro quanto beneficio nos Deo Opt. Max. ſummas debemus gratias in æternum uſque Amen.

Pauca adhuc ſubjungere æquum ac bonum eſt viſum, nimirum hoc: Quum glorioſiſſimus ille Philoſophorum cunctorum proavus *Hermes Triſmegiſtus* in Tabula ſua Smaragdina hanc Clavem Univerſalem, de qua jam agimus, in ſcriptis omnium primus nobis reliquerit, operæ pretium fore duxi, ſi verba ipſius huc adſcripſero, ut ex illis tanquam ex ſpeculo quivis Artis inveſtigator

con-

contueatur, in ipsius Tabula situm esse præsentium horum meorum Scriptorum fundamentum.

Laudati autem *Mercurii Magni* verba sonant ita: *Verum hoc est & ab omni mendaciorum involucro remotum. Quodcunque inferius est, simile est ejus quod est superius; per hoc acquiruntur & perficiuntur Mirabilia operis unius diei. Quemadmodum etiam omnia ex uno fiunt, per considerationem unius: Ita omnia ex uno hoc facta sunt per conjunctionem. Pater ejus Sol est, Mater Luna, Ventus in utero gestavit, Nutrix ejus est Terra, Mater omnis Perfectionis. Potentia ejus perfecta est, si mutatur in Terram, Terram ab Igne separato, subtile & tenue à grosso & grasso, & quidem prudenter cum modestia & sapientia. In cœlum hoc à Terra adscendit, & à Cœlo rursus in Terram descendit, & potentiam ac efficaciam superiorum & inferiorum recipit. Hoc modo acquires* Gloriam Totius Mundi: *propulsabis igitur tenebras omnes & cæcitatem. Hæc enim fortitudo omni alii fortitudini & potentiæ palmam præripiens. Omnia namque subtilia & crassa duraque penetrare ac subigere potest. Hoc modo Mundus hic conditus est, & hinc conjunctionis ejus mirabiles, & effectus mirandi, cum hæc via sit, per quam hæc Mira efficiantur, & propter hæc* Hermetis Trismegisti *nomine me appellârunt, cum habeam* Partes Tres Sapientiæ & Philosophiæ universi Mundi, *consummatum est verbum meum, quod dixi de Opere Solari.* Ex quibus sane verbis evidenter conspicimus, quod ab Ipso *Modus præparandi Oleum Vitrioli* at-

que

que rursus ipsius *Coagulatio* describatur. Quippe *Oleum Corrosivum* quod adscendit, hîc introducitur de semetipso ita loquens, nempe quod *Ignis* sit ipsius *Pater*; *Refrigerium* autem ipsius *Mater*; & quod in utero gestatum *Ventus* transduxerit illud, & quod *Terra*, hoc est, siccum atque dulcificans *Sulphur* sit ipsius *Mater* pariter atque *Nutrix*, & quod per *Destillationem* adscendat in *Cœlum*, hoc est *Alembicum*, & quod ex *Cœlo* vicissim descendat in *Terram*, hoc est, in *Agrum Coagulationis*; & quod ipsius *Virtus* non prius sit *perfecta*, quàm *Volatile* rursus abeat in *Terram fixam*, & quod per hanc viam *Magnalia* effici possint.

Quinetiam Virgilius paucis versibus Heroicis *Modum parandi* nostrum *Oleum Vitrioli rubens* sat evidenter describit. Hinc operæ precium duxi, huc verba ipsius adscribere, ut ille (cui Deus maximè benè cupierit) eò facilius sensum Vatis arcanum sibi inde enucleare possit:

Accipe quæ peragenda prius, latet arbore opaca
Aureus & foliis & lento vimine Ramus
Junoni infernæ dictis sacer, hunc tegit omnis
Lucus, & obscurus claudunt convallibus umbræ.
Sed non ante datur Telluris operta subire,
Auricomos quàm quis decerpserit arbore fœtus.
Hoc sibi pulchra suum ferri Proserpina *munus*
Instituit, primo avulso, non deficit alter
Aureus, & simili frondescit Virga Metallo.
Ergo antè vestiga oculis, & ritè repertum
Carpe manu, namque ille volens facilisque sequetur,

Si te fata vocant, aliter non viribus ullis
Vincere nec duro poteris convellere ferro.

Vitriolum Virgilius nuncupat hîc *arborem opacam*, id eſt, umbroſam, addens; ope *Proſerpinæ* uxoris *Plutonis* inde non niſi *unum ramum* decerpi poſſe, ſi quando Fortuna non nemini faverit; & quod gaudeat decerpi à quovis perito avidoque decerpendi, *Ramum* autem iſtiuſmodi *aureum* eſſe *Junoni* ſacratum &c. Novimus, *Junonem* ſecundum Poëtarum apologos fuiſſe *Jovis* ſororem atque uxorem; *Proſerpinam* autem *Jovis* & *Cereris*, aut (prout alii malunt) *Iſidis* filiam, quam parentibus *Pluto* inferorum Deus furtim ſubreptam duxit uxorem. Ex quibus dilucidè apparet, quod *aureus* ille *ſurculus* ex furvo in viride vergente Arbore Vitrioli non ſine *Proſerpinæ* ope decerpi aut obtineri queat. Si quis igitur in animum induxerit iſtiuſmodi aureos ſtolones ex arbuſculis opacis decerpere, illæ condiſcat præcognoſcere *Proſerpinam* eamque in conſilium adhibeat, quippe, quæ ipſi ſoli poteſt prodeſſe atque maritum ſuum eò permovere, ut ipſe ſuum in inferno Hypocauſtum ſudatorium tantò vehementius excalefaciat, ut loco albi inde adſcendat Spiritus ſeu Oleum coloris ſanguinei. Accuratè autem hic eſt animadvertendum, quod hoc Opus ad inſtar aliorum cœptorum noſtrorum non fortunabitur, niſi Deus exorandus operanti benedixerit; Benedictio namque cæleſtis ſi inde abfuerit, in caſſum laborabitur, prout ego non ſemel expertus

pertus ſuam. Emiverò ego aliquando nonnullis mihi amiciſſimis *Proſerpinam* noſtram auxiliatricem commonſtravi eoſque condocui Modum conſequendi illam atque rectè utendi eâ; qui tamen fuerunt omni omninò Fortunæ ſecundæ afflatu ad elaborandum deſtituti; tandem tamen rem acu dexterioris conatus ita quidem tetigerunt, ut bis aut ter operati feliciter ſint, ſed poſtea denuò nunquam. Ex qualibus ſanè eventibus ſatis elucet, quod talia Arcana plerumque oculato dextræ divinæ Reginæ ſceptro ita ſubjaceant, ut nunquam philoponis promiſcuè omnibus permittatur, ut eorum quilibet Scientiam ſummam adipiſcatur atque deinceps Bono conceſſo pernicioſè abutatur. Quod igitur dixi, dico adhuc loci: A Deo omne Bonum proficiſci neceſſe eſt. Quocirca licet vel hominum unus alteri quicquam Eximii communicare pervellet, ſi tamen ſummum Numen annuere noluerit, nunquam rem facies, ſed oleum & operam perdes, tempus inutiliter teres & nil niſi tædium faſtidiumque pro ſperata aurea meſſe meſſurus es. Id quod ita erit obſervandum, ut ſuum quiſque inſtitutum cum Deo Opt. Max. ſanctè ordiatur. Procul dubio enim tunc ſucceſſu gaudebitur proſpero, alio verò pacto non item. Hinc originem ſuam traxerunt, qui de ſuo Secreto Igne maturante ſic ſcripſerunt: *Ignis noſter ante coagulationem ſemper in vitro noſtro ardet, & non exterius.* Satis autem innoteſcit, quod Philoſophi per ſuum *Ignem Secretum* intellexerint

Oleum Vitrioli, & quod ipſorum Ignis ſit ſaltem Ignis ante coagulationem, poſt hanc autem non amplius, ſed dulcis Lapis maturans. Quocirca addiderunt; *Illud ante coagulationem eſſe Ignem, poſt coagulationem autem nequaquam.* Concinne igitur huc quadrat illud conſcripti ab antiquis Philoſophis: *Viſitabis Interiora Terræ Rectificando Invenies Lapidem Veram Medicinam.* Quibus etiamnum ex priſcorum Philoſophorum monumentis appoſitè ſubjungamus par illud verſiculorum ad inſtitutum noſtrum præſens facientium atque idem his breviſſimis exprimentium:

Si Fixum ſolves, facieſque volare Solutum,
Et volucrem figes, faciet te vivere Tutum.

His quippe paucis verbis compendioſè continentur, quæcunque ego in hoc Tractatulo effuſè deſcripſi. Talpa quavis cæciores & à Deo plenè ac planè derelictos eſſe illos oportet, qui nequeunt iſtiuſmodi Lumen irradiantiſſimum cernere. Cernere autem illud procul dubio poſſent, niſi Superbia atque Avaritia notabiliter ipſorum cor atque cerebrum cæcitati involviſſent. Enimverò Deo Καρδιογνώστῃ tam penitus perſpectæ planéque cognitæ ſunt mortalium omnium mentes, ut oculatiſſimæ ſuæ ipſe manus umbrâ Arcanum quodque ita ſciat obtegere, ut Turba malignorum Magna vel apertis oculis ad illud cæcutiant effectaſque dare Intentiones ſuas nequiſſimas nequeant. Equidem ex atris Avaritiæ atque Superbiæ ovis nunquam albi naſcuntur pulli, prout Experientia

quo-

quotidiana ſatis ſuperque atteſtatur: obſtinata tamen iſtiuſmodi corda ſine ullo reſipiſcendi ſtudio in talibus vitiis radicalibus perſeverant inhærentes tanquã mus in pice ad ſupremum vitæ halitum uſque, atque in iis ſe maximopere oblectant perinde ut in ſuo ſe ſues volutabro volutant. Quare nihil adeò ipſorum oculos paſcit quàm ſicubi datur occaſio corradendi maſſas auri ingentes in dies ſingulos, idque hac lege, ut ipſi interea loci nunquam vel manibus ſuis gypſatiſſimis quicquam fuliginis affricare vel illas operi elaborando admovere neceſſe habeant. Sed quid facias iſtiuſmodi hominibus? Hominum horum morbo vix ac ne vix quidem remedium ullum ullus Hippocrates immedicabili inveniat. Licet enim vel præmanſum coqui optimi pulmentum ipſis cochleari ſolari in os ingeras, vix tamen illud deglutire appeterent. Manet igitur, quod ejuſcemodi Magnalia non ſint ullius humanæ liberalitatis dona, ſed ſolius divinæ gratiæ bona.

Porrò extra *Medicinam Metallorumque tranſmutationem* noſtrum *Sal Philoſophorum* etiamnum multis aliis Virtutibus inſignibus præditum eſt, de quibus quin ex profeſſo jam ſcribam, intermittere nequeo. Perſcribunt Philoſophi, ſuam Clavem Clavium indifferenter omnia clauſtra recludere, atque excellere virtute frangendi duriſſimos quoſque Lapides adamantinos, atque inde eximendi Theſauros illis incluſos, quorum adipiſcendorum ergò alioquin in tota rerum natura ni-

hil omninò præterquam Clavis noſtra datur, cujus ope talia clauſtra occluſiſſima reſerari poſſint. Exempli gratiâ, Granatus eſt lapis tantæ duritiæ, ut facilè quidem in pulverem comminuatur, ſed neutiquam vel ab acerrima 🜅 arrodatur, neque ſolvatur, neque Anatomen illam patiatur. Quare quamvis adverſus hunc Lapidem præſtabilem (utpote qui viſibiliter in ſe contineat prænobilem Tincturam Auream, atque etiam non pauco inviſibili Auro Corporali imprægnatus ſit, prout effatim apparet ex ipſius pondere, quod eſt multò ponderoſius pondere cæterorum precioſorum pariter atque viliorum lapillorum) Corroſiva illa vulgò notoria nihil prævaleant & proinde à cenſura pro inutilibus ad hoc laborandi genus reprobentur: veruntamen noſtrum *Sal dulce* eſt tantâ præditum facultate, quantâ ille facilè recludi atque ſuus ipſi Theſaurus omnis eripi queat, uſqueadeò ut vel hic ejuſdem uſus ſolus (etiamſi nulli darentur alii plures vel compares vel præſtabiliores) viro auris honeſto abundè ſufficiat, unde in privata œconomiæ tranquillitate familiam large alere poſſit.

Ecce aliud etiamnum Experimentum Regium, quod ego ope Lapidis noſtri rubentis aliquando effectum dedi via ſequenti.

QUodam dierum ego noſtrum, Lapidem rubentem conjeci in Aurum fuſum, exploran-

di

di gratiâ, Num forſitan ejus adminiculo Aurum tingeretur colore ſublimiore, quippe qui perſpexeram, quod Argentum inde colorem imbiberet flaventem. Poſteaquam autem mixturam effuderam, comperi Contrarium quid ſpei meæ. Tantum enim aberat, ut ille Aurum meum colore altioris gradus tinxiſſet, ut è contrario fere omnem ipſius colorem ipſi exemerit, uſqueadeò ut ipſum albore Lunam æmularetur. Unde ego primitus quidem non parum conſternatus fui, quod præter ſpem meam adeò infeliciter operatus fuiſſem; ſed ad me rediens, afficiebar imaginatione, *Numnam* hic Lapis meus rubens *ceu ex* Chalybe *confectus fortaſſis eſſet ille* Chalybs, *de quo* Sendivogius *adeò præclarè ſcribit, quod ſuam* Auro *Tincturam extrahere poſſit*. Quod quum ob negocia quædam interpellantia ego nihil quicquam in memorati operis cœpto ulterius attentare potuerim, reſidui totum experientiæ altiori committere neceſſe habui. Satis autem demirari nequeo, quod noſtra Clavis Clavium tam promptè vel munitiſſimum quodque Auri clauſtrum reſerare, ipſumque Anima ſuâ Regia exſpoliare valeat: cum tamen alioquin Aurum juxta effatum omnium Philoſophorum ac reipſa nihil aliud eſſe comperiatur atque communi peritorum aliorum omnium ſuffragio habeatur quam tale ex toto Homogeneum, ut partibus conſtet ægerrimè ſeparabilibus. Si Deus Opt. Max. vitam mihi prorogaverit, atque inſuper conceſſerit tempus ac locum

faciendi periculi ulterioris, nulli operæ Arcano illi inveniendo strenuè navandæ tantisper parcam, dum ope Dei subvenientis gratiosâ tandem aliquando Magister illius Artis Artium evasero. Enimverò mihi (absit proferendo verbo invidia) jam *Porta Regii Conclavis* per nostram Clavem Herculeam reserata ita est, ut nullus dubitem, quin brevi (nisi supremum Numen, quod tamen nullus spero, conatui meo notabiliter restiterit) *Regis Coronam* ex *Carbunculo* confectam ego mihi inde ablaturus atque inter egenos ex misiricordia sublevandos distributurus sim. Cui spei meæ provehendæ Deus Opt. Max. ita benedicat, ut eventus votis præviis respondeat, Amen. Porrò ájunt Philosophi, quod quicunque est ipsorum Lapide potitus, vitrum taliter qualificare possit, ut illud, etiamsi ceciderit, non frangatur, sed infractum jacere similiter Metallo conspiciatur. Quod quidem ego sæpiusculè legi, sed nunquam credere potui, illud ita secundum literam esse intelligendum. Posteaquam autem Mihi Dei gratiâ nostrum *Sal Mirificum* concessum sit, præ curiositate irtermittere non potui, quin caperem experimentum, *Numnam scripta de eo eßent veritati consentanea.* Hinc pauculum Vitri fusi in crucibulum pusillum conjeci, illique duntaxat perparum nostri Salis superingessi, quod continuò illud suscepit, albenteque Vitrum colore imbuit. Quo Mixturæ genere effuso, Experimentoque facto, *Numnam in aliam degenerâßet à priore*

Na-

Naturam, comperi, Vitrum meum ſibi quadantenus novam induiſſe indolem, flexibile evaſiſſe, ſimiliter durificato filo chalybeo, & poſt flexionem ſe rurſus confortâſſe, ſed poſt multas paſſas ultróque citroque flexiones rupiſſe. Unde tantum veri collegi, non eſſe fabuloſa, ſed Arti planè poſſibilia, taliter apparare vitrum, ut non minus reddatur flexibile quam transparens ad inſtar Metalli. Quod quum mihi hactenus ſubminiſtrata nihildum fuerit occaſio periclitandi quicquam ulterius in tali elaborandi genere, nondum quidem poſſum me ullum in eo glorioſè profiteri aut agere Artificem, veruntamen aſſeverare aſſeverata de eo ab aliis non eſſe à Veritate aliena. Exſpectandum itaque tantiſper erit, dum Tempus (Deo indulgente) mihi plus Experimenti de eo revelaverit.

Inſuper quoque de eo ſcribunt Philoſophi, quod poſſeſſorem ſui qualificet tanta levitate ac hilaritate, ut ipſe ſe tanquam volucrem poſſit propriâ virtute elevare humo in altum; id quod Naturæ tamen adeò repugnat, ut ei (niſi vel Hieroglyphicè vel Allegoricè vel ænigmatice interpreteris) fides haberi nequeat. Quod autem illum, qui ejus beneficio memorata Magnalia efficit, magnopere exhilaret, conjectu facile erit cujuſvis æqui ac boni Cenſuræ. Enimverò in memet ego ipſo deprehendi, ſimul atque maximas quaſque Probas ſeu Experimenta parari ejus ope his meis oculis conſpexi. Poſteaquam enim ego per quadriennium

contininum præ invaletudine clinicum egeram,atque interea loci per varias ſpeculationes probationeſque tandem aliquando veritatem inveneram, & Sal Mirificum ad Metalla lapideſque examinatum deprehenderam exactis ſine convenire cum Philoſophorum de eo deſcriptione; tota mea Natura eſt illius ergò quaſi obſtupefacta atque indies tam notabiliter ad meliorem conſtitutionem redacta,ut ego ſatis nequeam illius mirari,aut ſuffecientes Deo gratias pro tantis donis modulari. Ille enim ego,qui antea præ invalentia nunquam ante meridiem cubitu ſurgere potueram, potui poſtea me diluculo primo è lecto proripere atque in Laboratorium meum me recipere. Antea quoque per tempus benè longum neque carnes neque piſces digerere potui ſed ſelo pane ac vino victitare neceſſe habui: Jam verò (Deo gratias) nonnihil pauculæ carnis piſciumque unà cum aliis cibis comedere poſſum. Quinetiam toto amplius anno præ corporis imbecillitate ego vix aliquot verſus exarare potui, uſqueadeo ut per biennium nihil Tygraphis excudendum tradiderím. Jam verò ille bonorum omnium largitor, Deus denuo manibus meis tantum facultatis motricis indidit, ut inceſſabiles ipſi canam gratias. Abſque quibus novis viribus fuiſſet, præſens hic Tractatulus lucem nunquam conſpexiſſet. Tantum autem Boni mihi non aliunde niſi à ſolo Deo atque lapide hoc precioſo profectum eſt. Quicunque igitur hanc Benedictionem Dei magnam participare quærit, il-

le ad me non accedat, utpote cui nulla ſit divintus conceſſā venia elargiendi collatū in me ſed in Dei amicitiam veniat atque laudatum Bonum ex ipſo tanquam limpidiſſimo fonte vivo hauriat. Quia apud hunc ſolum inveniet, apud homines non item. Cui meo conſulentis dicto ſi quis ex corde humibi procul ulla Hypocriſi audiens eſſe voluerit, forſitan ipſius votis eventus ſecundus reſpondebit; ſin minus, adverſus atque caſſus. Et Deus enim non aſſolet gratioſè reſpicere linguas hominum fucatorum, ſed corda candidorum.

Poſſent quidem etiamnum alia permulta de Lapide noſtro Tingente in medium proferri; ſed nulla ſuadet neceſſitas, ut taliter tempus conteramus. Sat dictum eſt. Cuicunque enim Deus oculos aperire dignatus fuerit, ille tot ſibi ſufficientia undique & undique videbit, ut effuſiore Informatione nullus indigeat. Omnia quippe videntibus ſunt luminoſa, quæ cæcutientibus apparent tenebroſa. Deus ſolus eſt Lumen, atque cuncti qui Deo ſunt proximi, inde ita illuminantur, ut videre poſſint. Quo autem remotior quis fuerit à Deo, eo propior erit Luminis Contrario, quod eſt caligo. Quicunque igitur aliquanto fulgore diviniLuminis illuminari concupiſcit, illum vitandas oportet fugere tenebras. Tenebræ namque cum Luce ſunt in uno eodemque ſubjecto incompatibilia, id quod cuivis Lectorum erit accuratè obſervandum.

CO-

COROLLARIUM.

IN hoc Tractatulo jam percepimus ; *Sal Metallorum* ex *Vitriolo* parari, differentiamque in eo quandam esse constituendam, nempe hanc :.

Quod *Oleum Vitrioli commune* se quidem in *Dulce* sal seu *Lapidem* coagulari patiatur, quo particulariter Metalla vulgaria emendantur atque ex gemmis Tincturæ extrahuntur, etiamsi ipsum careat Virtute Tingendi : quod tamen ab rubento Oleo coagulato præstari potest.

Cognovimus etiam, quod istiusmodi *Oleum Rubrum* citra opem Phlegethontææ illius Deæ *Proserpinæ* consequi nequeas. Ubi tamen annotandum erit, quod memorata *Proserpina* nihil aliud sit quam *Sulphureum Sal Album*, quod Vitriolo additum, in Destillatione *Tincturam Vitrioli* adscendere facit : id quod posteaquam ritè in *Lapidem minimè Corrosivum* coagulatum fuerit, tales Effectus præstabit, quales ego ipsi adscripsi. Tandem hoc etiam submonendun duxerim, quod nostrum *Oleum Vitrioli Rubrum* inter præparandum requirat gnavæ sedulitatis multum, ut Tinctura sat dives fiat; alioquin enim in Transmutatione virtutem parvam exseret. Quinetiam tantum Olei illius Rubri quantitatem neutiquam consequeris, quantam vulgus Avarorum inhians affectabit. Quia illud non prius nisi postremò insequitur, posteaquam Album omne jam adscenderit.

derit. Quicunque autem ſibi quantitatem Albi largam acquirere poterit, ille nolit ſollicitus eſſe de conſequendo Rubro. Quia Album ope *Proſerpinæ* quoque in Rubrum converti poteſt. Quæ ſi ita ſeſe non haberent, ſanè Virgilius haud verum eſſet exſecutus, ajens; Manu eſſe attingendum, promtè ſecuturum, non unum ſolum Ramum Aureum, ſed complures inſuper alios, ſi modò cuipiam Philoponorum favere Fortuna voluerit. Plura itaque ſcribere, hac vice ſuperſedeo. Quicunque autem præſentibus his noſtris contentus eſſe neſcit, ille perquirat monumenta Philoſophorum conſcribentium, talem dari Artem, quali prælucente ipſi beneficio unius libræ carbonũ ex Vitriolo integram libram Olei per Deſtillationem elicere poſſint. Verumenimverò non ita maturè iſthoc Artificium in vulgus diſſeminabitur. Cuicunque Deus benè cupiet, iſte ſibimet ipſi illud ſuopte ingenio parare poterit; ſin minus, idem ſe hac patientiæ meditatione conſolatrice conſoletur, ſe nimirum tantis Donis fuiſſe indignum. Quibus Lectorem benevolum valere & ſub umbra divinarum alarum latere jubeo.

FINIS.



